

www.e-rara.ch

**Gisberti Voeti theologiae in acad. Ultraiectina professoris selectarum
disputationum theologicarum, pars prima [-quarta]**

Voet, Gijsbert

Ultrajecti, 1648-1667

Zentralbibliothek Zürich

Shelf Mark: Rm 303 & Rm 303: a-ac

Persistent Link: <https://doi.org/10.3931/e-rara-22314>

De exemplo bono, eiusdemque imitatione, et opposito scandalo.

www.e-rara.ch

Die Plattform e-rara.ch macht die in Schweizer Bibliotheken vorhandenen Drucke online verfügbar. Das Spektrum reicht von Büchern über Karten bis zu illustrierten Materialien – von den Anfängen des Buchdrucks bis ins 20. Jahrhundert.

e-rara.ch provides online access to rare books available in Swiss libraries. The holdings extend from books and maps to illustrated material – from the beginnings of printing to the 20th century.

e-rara.ch met en ligne des reproductions numériques d'imprimés conservés dans les bibliothèques de Suisse. L'éventail va des livres aux documents iconographiques en passant par les cartes – des débuts de l'imprimerie jusqu'au 20e siècle.

e-rara.ch mette a disposizione in rete le edizioni antiche conservate nelle biblioteche svizzere. La collezione comprende libri, carte geografiche e materiale illustrato che risalgono agli inizi della tipografia fino ad arrivare al XX secolo.

Nutzungsbedingungen Dieses Digitalisat kann kostenfrei heruntergeladen werden. Die Lizenzierungsart und die Nutzungsbedingungen sind individuell zu jedem Dokument in den Titelinformationen angegeben. Für weitere Informationen siehe auch [Link]

Terms of Use This digital copy can be downloaded free of charge. The type of licensing and the terms of use are indicated in the title information for each document individually. For further information please refer to the terms of use on [Link]

Conditions d'utilisation Ce document numérique peut être téléchargé gratuitement. Son statut juridique et ses conditions d'utilisation sont précisés dans sa notice détaillée. Pour de plus amples informations, voir [Link]

Condizioni di utilizzo Questo documento può essere scaricato gratuitamente. Il tipo di licenza e le condizioni di utilizzo sono indicate nella notizia bibliografica del singolo documento. Per ulteriori informazioni vedi anche [Link]

fiasticâ); *consilio*; reali & prompto *auxilio*. De his, & vitiis oppositis ad octavum præceptum commodè tractatur, sub tit. *elemosynæ* seu curæ pauperum & miserorum. Quo refer officium mutuationis gratuitæ, *Hospitalitatis*, *piorum legatorum*, *visitationis* & *curæ egrotantium*, *captivorum*, *exulum*, &c. Caluistæ Pontificii, & scholastici ad 22. qu. 30. & 32. & peculiare tractatus exoterici ac parænetici huc pertinentes, suo loco ad 8. præc. indicari debent.

III. *Justitiam*: Cujus actus hic delineari & ad certa capita revocari possent. Sed plerorumque particulares tractationes ad sua quæque præcepta rejiciendæ. Scholastici non contenti ad *Thomæ* 22. & in *Theolog. casuum* de his operose commentari, peculiariora insuper volumina de *Justitiâ* & jure conscripserunt. Inter quæ mihi nota, *Dominici à Soto*, *Bannes*, *Molina*, *Lessii*. Longum nimis esset archetypus istorum voluminum hic exhibere. Hoc saltem notandum officia ex justitia debita esse vel secundum 5. præc. vel 6. vel 7. vel 8. vel 9. & illic commodè tractari posse. Excepto, quod de justitiâ & jure in genere, de æquitate, de gratitudine, de restitutione, deque vitiis oppositis hic agendum videatur.

IV. *Concordiam*. De qua in genere hic agendum. Ejus species duæ sunt pacis & amicitia. De pace hoc loco, aut ad sextum præceptum tractari potest. De *amicitia* cum oppositis hic omnino agendum: saltem præstantiores Ethici, & inter Theologos *Daneus*, qui peculiari tractatu eam descripsit, annotandi; ad quos occasione ita postulante studiosi recurrere queant. Huc etiam referendæ virtutes homileticæ, *affabilitas*, *civilitas morum*, &c. de quibus consulendi scriptores ethici; & tract. *Guazzo*, *Erasmi*, *Job. Casæ* cum notis *Nathanis Cythrai*, *Althusii Ethica*.

DE EXEMPLO BONO, EJUSDEMQUE IMITATIONE, ET OPPOSITO SCANDALO.

P A R S P R I M A.

Resp. JOHANNES TALLIERS Mediob. Zecl. 7. Junii, 1662.

Caritas proximi exserit se circa promovendam salutem ejus temporalem & æternam. Illa quomodo promoveatur, alibi dicitur. Ista promovetur 1. *Votis & precibus pro ipsius salute seu gratiâ & gloriâ ex sincero affectus interioris sensu apud Deum effusis.* 2. *verbis tum consilii, tum institutionis, adhortationis, correptionis, elenchi sive immediatè, sive vivâ voce sive scripto apud ipsum aut ad ipsum prolatis.* 3. *Factis, hoc est, exemplo: dum in conspectu*
ejus.

ejus, & in tota vitâ ac conversatione nostrâ abstinemus ab omni exemplo malo. b. e. ab omni scandalo activo ac dato; & contra exemplo bono in omni opere bono, eidem praeimus. De postremo officio caritatis ergo proximum nobis nunc agendum. 1. de exemplo bono, ejusque imitatione. 11. de exemplo malo seu scandalo, ejusque fugâ. De utroque sic acturi sumus, ut praemissis praecognitis. 2. ad propositas aliquot quaestiones respondeamus. Sint ergo praecognita.

* I. DE EXEMPLO.



Exemplum, juxta Nonium Festum, est quod sequamur, aut vitemus: *exemplar*, ex quo simile faciamus. Illud animo aestimatur; istud oculis conspicitur. Sed hæc minus solida esse, & voces illas sæpe confundi, ex bonorum autorum lectione, satis superque constare arbitror.

Missis ergo philosophorum & philologorum circa vocum *exempli*, *exemplaris*, *idea*, *imaginis*, distinctiones ac significationes, disquisitionibus: tantum observari velimus 1. τὸ exemplum latè acceptum denotare 1. quodcunque simile, ex quo vel ad quod aliud simile fit aut fieri potest. 2. Quodcunque factum ad aliud simile.

Ita ut distingui possit exemplum in exemplans & exemplatum: haut aliter ac philosophi naturam distinguunt in naturantem, & naturatam; & theologi τύπον in πρῶτον & ἑυτερον. Prior significatio occurrit apud scriptores Latine loquentes, ut Manilium lib. 1. Astronomici pag. 3. edit. in 4.

Per varios usus artem experientia fecit.

Exemplo monstrante viam.

Et apud Ciceronem passim in orat. pro Archiâ, in lib. de Oratore, in Topicis, & ad Herenn. &c. Et apud Boëthium, qui tamen in πρῶτον latinitatis floruit, lib. 3. de consol. philosoph. metro 9.

Tu cuncta superno Ducis ab exemplo.

Posterior apud Manilium, ubi de homine loquitur,

Exemplumque Dei quisque est in imagine parvâ.

Quod de homine pluribus sic explicat lib. 2. pag. 32. Quem denique in unum, Descendit Deus atque habitat, seque ipse requirit. Et sic apud Salust. in conjur. Catilinar. & Ciceronem passim in epistolis, *Exemplum literarum.*

11. Exemplum exemplans distingui potest, in naturale, seu necessarium, & in morale seu liberum. *Naturale* est, vel increatum, independens, divi-

num : vel creatum, & dependens. *Prius* nihil aliud est quam idea omnium possibilem & futurorum in Deo. De qua alibi nobis actum. *Posterior* est, quidquid in creaturis irrationalibus, homini ad contemplationem non tantum, sed etiam ad imitationem proponitur aut obijcitur. Et tale analogice exemplum dicitur. Vide & considera *Proverb. 6. v. 6. &c. & 30. 24. 25. Jerem. 8. v. 7.* ubi exempla brutorum, in quibus imagines virtutum, hominibus proponuntur. Notum est illud Boëthii, quo hominibus exemplum rerum omni sensu carentium imitandum proponit, *lib. 2. de consolat. merro 8.* quod ita concludit:

O felix hominum genus,

Si vestros animos amor.

Quo cælum regitur, regat.

Huc referri debet illud tritum *Hugonis de S. Victore lib. 2. de arcâ cap. 3.* de triplici voce, quâ creaturæ nobis loquuntur: accipe, redde, fuge; beneficium, officium, supplicium. Quarum prima est famulantis: secunda admonentis: tertia comminantis. Vide sigillatim per totum naturæ theatrum creaturarum voces cum adjunctis cuique vocibus Dei & hominis, prosequentem *Alfredum in theol. naturali part. 2.*

II. Exemplum liberum, est vel Dei, vel creaturæ rationalis. Illud sunt divina attributa, communicabilia scil. quatenus scil. creaturæ rationali liberè à Deo revelantur: tum opera externa. Attributa Dei, ut amor, iustitia, clementia, benevolentia, benignitas, veracitas, misericordia, longanimitas, & quæcunque sub notione virtutum concipiuntur, imitanda proponuntur. Hujus exempli intuitu homo dicitur creatus ad imaginem Dei *Ephes. 4. v. 24. Coloss. 3. v. 10.* & particeps factus divinæ naturæ *2 Petr. 1. v. 4.* Vide *Matth. 5. v. 48. 1 Job. 4. v. 7. 8. Ephes. 5. v. 1. 2.* Opera Dei sunt, tum communia creationis, conservationis, gubernationis; tum specialia, quæ angelorum & hominum statum æternum concernunt: qualia sunt beatificatio, redemptio, eisque opposita condemnatio. Talia opera homini in forma & specie tanquam exempla imitanda non proponuntur, nisi per analogiam quam, & quod ad generalia inde extracta. Sic ex. gr. exemplum Dei facientis oriri solem super bonos & malos *Matth. 5. v. 45.* nobis imitandum proponitur, sed quod ad genus, *v. 44. 46. 47.* Idem judicandum est de exemplis operum theandricorum Christi mediatoris, quæ nobis in exemplum proponuntur *1 Petr. 2 v. 21. 25. Rom. 6. v. 4. 5. Phil. 3. v. 10. Coloss. 3. v. 1. 5. Ephes. 5. v. 2.*

Exemplum creaturæ rationalis est vel passivum, quod patitur: vel activum, quod agit. *Passivum* est quodcunque malum triste divinitus immissum, sive in poenam vindicantem, sive in *doctrinam*, sive in paternam castigationem &

maledictio.

judicia. Quod respectu Dei agentis est bonum, justitiæ scilicet consequenter analogicè imitandum, quousque lex permittit: sed respectu hominis patientis est malum, & consequenter fugiendum. De talibus exemplis loquitur Apostolus 1 Corinth. 10. v. 6. *Hæc autem typi nostri fuerunt.* Ea, cum insolita, rara, graviora sunt, vocantur judicia Dei, quæ in his terris inter homines exercet *Jesa. 26. v. 7.-12. Psal. 36. v. 9.* Talibus exemplis scriptura abundat, & historiæ tum ecclesiasticæ tum civiles. Hæc magno numero collecta sunt, secundum ordinem decalogi ab *Honsdorf. & Lonicerò in Theatro judiciorum Dei, Manlio in locis comm., Joh. Chassanione in historiis mirabilium Dei judiciorum, &c. Gall. & Belg.* Quibus junge *Martyrologia, J. D. speculum tragicum Lugd. Batav. anno 1605, editum in 8.* Prodiit ante annos aliquot aliud longè auctius idiomate vernaculo tit. historiæ tragicæ. In utroque imprimis referuntur tragica exempla magnatum. Exstat libellus *Joh. Pierii Valeriani de infelicitate literatorum*, denuo cum appendice editus à *Cornelio Tollo Professore Harderoviceno a. 1647.* Generales libri exemplorum (quales *Zwingeri Theatrum, Catechismi historiales, & Polyanthæ Langii, Gruteri, Magiri,*) aliquam hic partem faciunt.

Judicia divina distinguuntur in privata; & in publica nationum, regionum; agrorum, civitatum: ista ex particularibus historiis bellorum, laniendarum, seditionum, latrociniorum, persecutionum religionis causâ, inundationum, incendiorum, tempestatum, spectrorum, &c. innotescunt, de quibus supra pluribus & ex professo actum tit. de *Judiciis Dei.*

iv. Exemplum creature rationalis est vel angelicum, vel humanum. Illud est vel bonum vel malum. Exemplum bonorum Angelorum peculiariter nobis proponitur *Matth. 6. v. 10. coll. cum Psal. 103. v. 20.* Dæmonum exempla omnia sunt mala formaliter considerata: quamvis materialiter aliquid veri subinde dicant, ut tantò melius fallant; sicuti & aliquid boni aut pollicentur, aut subinde faciunt, ut perdant. Huc refer sanationes morborum, ereptiones ex periculis per subductionem, avectionem, auxilia contra hostes lata, &c. & quæcunque dæmones familiares seu paredri officia (ita loqui liceat) suis heris, an clientibus, ad annos aliquot præstitisse dicuntur. Vide *Manlium in collectan. loc. commun. tit. de Creatione* sub tit. de *malis spiritibus.* Memorabile exemplum refertur ab eodem *tom. 2. ad 3. præceptum p. 193.* de milite quodam per diabolum formâ procuratoris aut advocati à supplicio mortis, cui sententia judicium jam jam addicendus erat, indicio veritatis liberato, & scelerato ejus adversario atque accusatore inde avertito. Sed nos ut à diabolo nihil edoceri, sic nec à factis ejus, ut ut materialiter bonis, exemplum petere, sumere, aut expectare volumus

Hominum exempla sunt vel moraliter mala vel bona, vel adiaphora. Illa propriè vocantur scandala activa scil. & data: de quibus infra. *Ista*, sunt tum externæ tum internæ actiones virtutum, moralium & theologiarum, per omnia præcepta decalogi. *Externæ* actiones sunt quæ in aliorum sensus incurrunt, 1 Petr. 2. v. 12. & 3. v. 1. 2. *Internæ* actiones, & dispositiones virtutum sunt exempla quatenus per divinam aut humanam revelationem hoc est, per signa & opera externa aliis innotescunt. Sic per revelationem divinam fides Abrahami innotescit. Hebr. 11. & aliorum ibid. à v. 4. - 40. Per signa & opera externa sunt exempla activa, non tantum ex naturâ operis, sed etiam ex intentione operantis. De quibus Matth. 5. v. 11. *Sic luceat lux*, &c. Conf. 1 Petr. 2. v. 11. 12. & innotescunt internæ *æges* & dispositiones virtutum, quantum imitaturis sufficit (intercedente scil. iudicio caritatis) cum virtutibus illis præditi lucem confessionis, & efficaciam caritatis erga Deum & proximum præferunt. Rom. 10. v. 10. *Ore sit confessio ad salutem* Jacob. 2. *Ostende mihi fidem tuam ex operibus*. Et cap. 1. v. ult. *religiosus autem cultus*, &c. *hic est, invisere orphanos*, &c. Math. 7. *Ex fructibus agnoscetis eos*. Et 1 Cor. 13. v. 4. - 8.

Adiaphora exempla humana sunt opera habituum intellectualium scientiæ scil. cujusque; & artis tum liberalis tum illiberalis, tum principalis, tum instrumentalis. De quibus in disciplinis grammaticâ, rhetorica, poetica, physica, mathesi, medecina, &c.

v. *Exemplum bonum* distingui potest in dictum aut scriptum, & in factum. De dictis & scriptis in genere Coloss. 4. v. 5. 6. *Sapienter ambulate erga extraneos*, &c. *sermo vester semper cum gratiâ sit sale conditus*, &c. Ephes. 4. v. 28. *si quis est commodus* (sermo) *ad ædificationis usum, ut gratiam auditoribus adferat*. Quorum opposita λόγος σέπρος, & ὁμιλία κακὴ scandalum præbent, & consequenter vitanda Ephes. 4. v. 29. 1 Cor. 15. v. 33. In specie de dictis & scriptis res fidei & pietatis proponentibus 2 Tim. 1. v. 13. ubi de hypotyposi saniorum sermonum: quam Beza expressam formam interpretatur: qui eandem vocem 1 Tim. 1. v. 16. & 4 v. 12. exponit *exemplar*; vulgatus 1 Tim. 4. v. 12. *exemplum*. De exemplis factorum Apostolus 1 Tim. 4. v. 12. Philipp. 4. v. 8. 9. 1 Cor. 10. v. 32. 33.

vi. *Exemplum bonum*, rursus est vel principium faciens demonstrationem in fide & theologiâ; consequenter fidei & morum regula ac norma infallibilis: vel *motivum* tantum. Illud est omne exemplum imitabile Dei, Christi mediatoris, angelorum, & beatarum animarum. *Istud* est tum fidelium & sanctorum in hac vitâ primario; tum etiam infidelium secundariò.

* IL DE IMITATIONE.

IMitatio est actio hominis quâ ad exemplum ab alio datum, simile quid efformat, eique qui exemplum dedit, se conformat. In hac descriptione, uti in motu physico, tria consideranda, terminus à quo, terminus ad quem, & tendentia seu motus ad terminum.

I. Terminus à quo est exemplum exemplans, quod Græcis *μιμητόν*, id est, imitabile, & *idea* (quæ Platoni causa exemplaris), in N. T. *ὑποτύπωμα*, *τύπος* dicitur, 1 *Timoth.* 4. 12. 1 *Petr.* 2. 21. *Rom.* 6. v. 17. In V. T. Hebr. *תבנית* 2 *Reg.* 16. v. 10. *פְּרָשָׁן*, id est, exemplum epistolæ *Ezr.* 4. 1. Et sic Targum *Jerem.* 10. v. 11. *Psal.* 60. v. 1. Idem *Esther* 3. v. 14. scribitur *פְּרָשָׁן* ubi Gr. interpres vertit *ἀντίγραφον*. Potest enim intelligi vel de formâ & originali conceptu (ita loquar) epistolæ, vel de apographo seu antigrapho. Quomodo accipit, Targum *Jos.* 8. 3. *Deuter.* 17. v. 18. ubi textus Hebr. habet *משנה*. Porro exemplum seu imitabile illud est vel subiectum ipsum seu persona, vel adjunctum aliquod illi subiecto inhærens aut adhærens. Utrique in scripturâ ratio exempli & imitationis tribuitur: illi *Hebr.* 13. v. 7. isti 1 *Cor.* 11. v. 1.

II. Terminus ad quem seu res motu facta est simile illud seu exemplum exemplatum, quod ad imitationem prototypi factum Gr. *μιμητόν* & *μίμημα*, Latinis *imitamentum*, *imitamen*, *imago*, *simulacrum*.

III. Motus ipse seu actio per quam τὸ *μίμημα* & exemplum producitur, propriè dicitur *imitatio*, Gr. *μίμησις* (quæ vox etiam τὸ *μίμημα* denotat, uti *ἔκστασις* creationem & creaturam) à verbo *μιμᾶσθαι*, quod in scriptura aliquoties legitur, ejusque derivatum *μιμητής*. Est autem imitatio vel scientiæ, vel artis, vel virtutis. Duæ priores quam sint necessariæ, & quomodo ritè instituendæ docent philosophi, & philologi: inter eos *Bembus tract. peculiari*, & novissimè polyistor *Gerh. Job. Vossius tract. peculiari*, quem poëticæ subjunxit anno 1647. Tertia nobis hic spectanda: & pertinet ad virtutem, cui opponitur speciale vitium, dictum *κακοζήλεια*; qua malos & mala imitamur; aut bonos & bona, sed malè. Hic chorum ducit diabolus, qui ideo Dei simius dicitur: cujus mimicam peculiari libello, aliqua ex parte delineare conatus fuit, sed eam infelicitè à Papatu removendo, ac reformatis applicando, *Henricus à Monte acuto S. Johannès à Costa dominus, tit. Demonis mimica.* anno 1612. Longè plura & certiora huc adferri possent ab illis, qui in scripturis probè versati, nec in historiis antiquis & novis hospites. Apostolus 2 *Corinth.* 11. v. 15. ait Satanam se transformare in angelum lucis, & ministros ejus tanquam ministros Christi. Exemplum hypocritarum, nec non antiquorum &

130 DE EXEMPLO BONO, EJUSDEMQUE, &c.
recentium hæresiarcharum, præsertim magni Antichristi, ad oculum hoc demonstrant: modo parallelismus inter diabolum & ipsos instituitur.

I. *Quest. An dicta & facta quavis Dei, & Christi mediatoris sint nobis exempla imitanda? Resp.* Distinguiamus, & sic ab utrâque extremâ sententiâ recedimus.

Sunt qui promiscue adversus quavis exempla Dei & Christi, quoties eorum imitatio urgetur, ex imperitiâ an ex causâ desperatione excipiunt: Nos non esse Deum aut Christum, consequenter nobis non licere, quod Deo aut Christo licet; & siquidem eos imitari velimus, nos incurrere redargutionem Christi Luc. 9. v. 55. *nescitis, cujus spiritus sitis.* *Resp.* Sed contra Servator Matth. 5. v. 45. 48. hortatur nos ad Dei imitationem Math. 5. v. 48. *Estote igitur perfecti, &c.* Et Apostolus Ephes. 5. v. 1. *Estote igitur imitatores Dei, &c.* 1 Petr. 1. v. 16. *Estote sancti, sicut ego sanctus sum* coll. cum v. 14. 15. De Christi exemplo ad imitationem nobis proposito 1 Cor. 11. v. 1. 1 Petr. 2. v. 21. Philipp. 2. v. 5. *Itaque is sit affectus in vobis, qui fuit & in Jesu Christo, &c.* Hinc enatum verissimum illud diverbium, *Omnia Christi actio nostra institutio.* Et non immerito Thomas à Kempis aureum suum libellum (exceptis nonnullis, quæ juxta errores istius sæculi intercurrunt) de *Imitatione Christi*, hoc titulo insignivit: *Qui sequitur me*; eundemque à verbis Johann. 8. v. 12. *Qui sequitur, &c.* inchoavit.

In alterum extremum eunt, qui absque distinctione & discretione, quævis exempla Dei & Christi imitanda arripiunt, aut aliis proponunt. Sed distinguendum est: inter $\rightarrow$ materiale & formale facti; ut & inter imitationem specificam seu formalem facti, & inter generalem seu analogicam. Omnia facta Dei & Christi mediatoris nobis sunt exempla imitanda, quod ad genus aut generale aliquod inde extractum, seu quod ad analogiam: non vero in specie, quod ad eandem speciem, seu quod ad formale. Sic e. gr. Dei miracula, mundi creationem, benedictiones spirituales & temporales, gratiam electionis, vocationis, regenerationis, justificationis, sanctificationis, &c. non imitatur; & Christi incarnationem, passionem, sacrificium, sepulturam, resurrectionem, ascensionem, intercessionem pro nobis, munus item regium, sacerdotale, propheticum imitatur, & non imitatur, sub hac distinctione. Vide Rom. 6. v. 3. - 7. Coloss. 3. v. 1. 2. Philipp. 3. v. 10. 1 Petr. 2. v. 5. 9. Apocal. 1. v. 6. & egregias catecheticas *quest.* 32. 43. 45. 49.

II. *Quest. Quomodo cognosci possint, quanam opera Dei & Christi nobis formaliter & in specie sint imitanda; & quanam tantum quod ad genus, seu generale quoddam inde extractum.* *Resp.* 1. *Concl.* Omnia, quæ communi lege Dei tanquam virtutes in scripturâ præcipiuntur, nobis in actionibus Dei

Dei ad imitationem & quidem in formâ ac specie proponi credendum est. Quæ contra lege Dei in scripturâ prohibentur, ea nobis in actionibus Dei minimè imitanda sunt. Sic e. gr. Deus mandat Abrahamo, sed speciali mandato occidere filium innocentem (in foro scil. humano): hoc nullis parentibus, heris, Magistratibus imitari licet; quia Deus lege communi occisionem innocentis prohibet. *Exod. 21. & 22. Numer. 35. Rom. 13. v. 3.* 4. κακῶς ἑλίας gentium illarum, quæ ad mandatum & factum hoc speciale respexisse videntur, in mactandis liberis suis, & Israelitas imitatores hujus nefariæ κακῶς ἑλίας, Deus passim detestatur. *Ezech. 16. v. 20. 21. Psal. 106. v. 37. 2 Reg. 16. v. 3.* Detur aliud exemplum: Deus & Christus mediator sine causis secundis miraculosè supra omnes naturæ leges immediatè & extraordinariò multa egerunt: sed talium imitatio nobis tentanda non est; quia prohibemur Deum nostrum tentare *Matth. 4. v. 7.* h. e. sine mediis in naturâ ordinatis similes effectus intendere aut exspectare. Pontificiorum κακῶς ἑλίας alibi detegitur, cum baptizantes dicunt *ephphata*, & ordinantes sacerdotem afflant eundem ad modulum scil. *Marc. 7. v. 34. Job. 20. v. 22.* His & aliis sexcentis opponi debet illud servatoris *Luc. 29. Nescitis cujus spiritus sitis.* Quod dictum non nisi imperitè contra scripturam, & elementa theologiæ non tantum revelatæ, sed & naturalis ad imitationem tum verborum seu phrasium, tum rerum seu sententiarum, tum exemplorum & factorum Dei, Christi mediatoris, angelorum, Θεοπροφῆται Prophetarum & Apostolorum extenditur.

2. *Concl.* Sit ergo. Ubicunque Deus à scriptoribus Θεοπροφῆται introduci-
tur talem imitationem præcipiens, aut illi ipsi scriptores ex ore Dei & nomine ipsius (quippe habentes spiritum Dei & acti ab illo *1 Cor. 7. 2 Petr. 1.*) imitationem actionum Dei exemplo ejusdem proposito præcipiunt ac suadent, ibi tutò non tantum imitari possumus, sed & debemus. Sic e. gr. Dei exemplum ab unâ parte nobis proponitur ad exercendam misericordiam *Luc. 6. v. 36.* Sed quis puerili inconsequente & paralogismo à particulari, seu mavis fallaciâ à dicto secundum quid, inde inferat, ergo Dei exemplo inter homines nunquam exercenda est justitia punitiva. Vide contrarium *Deuter. 7. v. 16. Oculus tuus illis non parcet. Rom. 13. Gladium non geris frustra.* Christus *Matth. 11. v. 28.* suavissimè consolatur: ergo exemplo Christi non licet aliquem, re ita postulante, hortari, reprehendere, corriperere. Rursum Christus ad multas accusationes tacuit coram Cajapha & Pilato: ergo nunquam licet ecclesiæ, aut ovibus Christi, ipsius exemplo, contra accusatores suos ἀπολογεῖν. Contrarium vide à nobis demonstratum in disp. de apologiis, ad *1 Petr. 3. tertia parti Politica Ecclesiastica* inserendâ. Christus *Matth. 11. v. 29.* ait: *Discite à me, &c. quod mitis sum, &c.*

Ergo nunquam licet exemplo Christi *Matth.* 16. & 23. *Job.* 8. aliquem adversarium sive à fide alienum sive ejusdem fidei consortem, ita ferente necessitate, acriori oburgatione, correptione, censurâ, excipere: idque in veritate & justitiâ, absque calumniâ & privata vindictâ; ad conversionem ipsius aut confusionem; ad veritatis, pietatis, innocentiae defensionem; ad aliorum præmonitionem, ne seducantur aut scandalizentur; ad ecclesiae orthodoxae honorem & ædificationem; ad accusationum ecclesiae malignantis aversionem. Contrarium præcipit Christus per Apostolos & amnuescentes suos. 2 *Tim.* 4. v. 2. *Tit.* 1. v. 13. *eos redarguito præcisè, ut sani sint in fide.* Conferenda loca *Phil.* 3. v. 2. ubi quosdam appellat *canes, malos operarios,* &c. 2 *Petr.* 2. & epist. *Jude,* 2 *Cor.* 11. 13. 14. 15. cum v. 23.

Contra hæc excipi aliquando audimus ab idiotis quibusdam, ut & vix semi-literatis, in elementis Theologiæ rudibus & non catechizatis, sed catechizandis 1. *Except.* Quod Christo, quod viris Dei Prophetis & Apostolis licuit: nobis non licet? Nescimus enim cujus spiritus simus. *Resp.* Hoc tam crudo effato nesciunt se tollere omnia officia adhortationis, fraternæ correptionis, disciplinæ & censuræ ecclesiasticæ, atque adeo magnam efficientiæ, authenticæ normalis, & usus scripturæ partem; breviter totam theologiam (quam ita vocant) exemplarem. Exempla enim Dei, Christi, Angelorum, ut & exempla Prophetarum, atque Apostolorum, immo & omnium aliorum sanctorum, sive communi sententiâ legis divinæ, sive speciali judicio in scripturis probata, tanquam media seu argumenta demonstrationis theologicæ adduci solent: nec adversus ulla eorum admittenda exceptio; nisi scripturæ eandem exceptionem indicent, aut ex earum analogiâ solidè probari possit.

DE EXEMPLO BONO, EJUSDEMQUE IMITATIONE, ET OPPOSITO SCANDALO.

P A R S S E C U N D A.

Resp. CORNELIO de KRANCKEL Woudrich. Bat. 4. Junii 1662.

S. 1. III.



Quest. An imitatio Christi non tantum universalis seu perfectæ perfectione partium, esse debeat; sed etiam undequaque exacta, seu perfectæ perfectione graduum. *Resp.* Aff. Probatur ex exacta impletionem legis & perfectione bonorum operum, perfectæque caritate Dei, ad quam tenentur fideles, *Matth.* 22. v. 37. cum *Marci* 12. v. 30. *Jacob.* 2. v. 12. 2 *Thessal.* 2. v. 15. 17. Jam verò Christus secundum

cundum humanam naturam obediens legi divinæ nobis viva seu animata lex est; eumque tanquam ducem sequi *Math. 16. v. 24. Hebr. 12. v. 2. Job. 8. v. 12.* ab eo discere *Math. 11. v. 29.* eundem tanquam perfectum exemplar imitari jubemur *1 Cor. 11. v. 1. Rom. 15. v. 7. Ephes. 4. v. 20. 32. & 5. v. 1. 2. 25. 29.*

Sed ab imperitis idiotis non rarò excipi solet, cum urgetur exemplum & imitatio Christi. *1. Exc.* Ego non sum Christus, qui per unionem hypostaticam in humanâ naturâ erat impeccabilis; nec quisquam meam obedientiam cum perfecta Christi obedientiâ comparare debet? *Resp.* Verum est antecedens: Sed nos non dicimus aut prædicimus tuam perfectionem esse aut posse esse, Christi perfectioni æqualem; sed tantum cum & ex scripturâ contendimus, eam debere esse æqualem.

Instantia: si æqualis esse non potest; ergo frustra urgetur, & pro eâ ex scripturis contenditur. *Resp. Neg.* consequentia. Christus enim non reliquit nobis frustra exemplar, ut vestigia ejus sequeremur *1 Petr. 2. v. 21.* nec frustra dixit, discite à me, &c. *Matth. 11. v. 29.* Et imperitè præsupponi videtur, quod unicus finis operis, præcepti, adhortationis, exstimulationis, correptionis sit perfectio in hac vitâ, aut ullo modo finis atque intentio operantis ministri sit eadem perfectio. Minimè. Longè aliud docetur *Ezech. 2. v. 5. 7. & Rom. 1. v. 20.* cum *2. v. 14. 15.* (ubi de lege naturæ.) Hic obtinere debet illud Augustini, lib. de corrept. & grat. cap. 3. *O homo in præceptione cognosce, quid debeas habere: in correptione cognosce, tuo te vitio non habere: in oratione cognosce, unde accipias, quod vis habere.* Sunt ergo operis ipsius honesti, (præcepti & adhortationis) fines succedanei, quos perquam eruditè & piè docet nostra catechesis quæst. 115. Et est unicus finis unica intentio operantis, hoc est, adhortantis & corripientis ministri (qui cum catechesi qu. 114. certa fide tenet imperfectionem in hac vitâ), ut quisque vincatur de debito perfectionis, & de suâ imperfectione; ut consequenter humilietur, desideret gratiam Christi & ad illam solam confugiat, denique ad perfectionem & scopum versus feratur, &c. *Hebr. 6. v. 1. cum Philipp. 3. v. 12. 13. 14.*

Ut autem absurditatem hujus exceptionis palpare queas, propono similes: Non debet prædicari aut urgeri in ecclesiis nostris imitatio patriarcharum, prophetarum, Apostolorum (quod tamen repugnat *Hebr. 12. v. 1. & 13. v. 27. 1 Corinth. 11. v. 1.*): quia non sumus Prophetæ aut Apostoli. Et rursum: Non debet urgeri & prædicari ex *Matth. 5. v. 48. estote perfecti, &c. & ex Ephes. 5. v. 1. Estote imitatores Dei, &c. & ambulate in caritate, &c.* Quia nos non sumus Deus, qui est ipsa caritas *1 Joh. 4. v. 8.* Nec exemplum angelorum, *Math. 6. v. 10.* quia non sumus angeli.

Except. 2. Christus, & Euangelium liberant nos à perfectâ præcisâ & rigidâ illâ obedientiâ legis, & consequenter à perfectâ imitatione Christi quod ad partes, & gradus. Et videntur esse legales atque anti-euangelici, qui novum foedus gratiæ his oneribus gravant. *Resp.* Tales simileque exceptiones non tantum ab idiotis, sed etiam à nonnullis ex bestie aut semisse literatis, subinde audite. Noseam istâ distinctione sic diluimus: legis perfecta obedientia imponitur homini vel sub forma, ratione, & conditione meriti, & acquirendi juris ad vitam æternam; cum consequentiâ & successione maledictionis, siquidem obedientia deficiat *Levitic. 10. v. 5. Deuter. 27. v. 26.* Vel imponitur ei præstanda sub formâ gratitudinis. Ab illâ nos liberat Christus & foedus novum seu euangelium, *Rom. 6. v. 14. 15. Galat. 3. v. 12. 13.* Ab istâ minimè: sed contra tanquam validissimum motivum & arctissimum vinculum nos obligat ad perfectum amorem Dei, & gratitudinem *2 Cor. 5. v. 13. 14. 15.* Vide theologiam catechetica ad *quæst. & resp. 86. 91. 94. 113. 116.*

Exc. 3. Cum tam universalis & exactus exempli Christi tanquam animatæ legis intuitus, tam exacta ejusdem imitatio, sine ullâ latitudine, sine ullâ relaxatione, sine ullâ in benigniorem ac paulò faciliorem partem interpretatione, sine ullâ ad varia hominum ingenia, studia, infirmitates *συγγενεῖς*, accommodatione, adaptatione, traditur & præscribitur: plus destruitur, quam ædificatur, plus dispargitur, quam colligitur. Quia homines sive infideles, sive sectarii à religione & ecclesiâ nostrâ alièni, adhæc, neutrales aut in bivio constituti, non renuentes tamen propius ad nos accedere, Mundani præterea, & etiamnum carnales, infirmi, infantes (*1 Cor. 3. v. 1. 2.*) ejusmodi magnis & rigidis postulatis, à capeSSendâ fide ejusque professione avertuntur, aut tristitiâ afficiuntur, si non in desperationem adiguntur. *Resp.* Hoc totum est per accidens: quomodo Evangelii (quod est verbum pacis) prædicationem, sequuntur aut comitantur hominum dissidia, contentiones, hostilitates, calus multorum, &c. *Math. 10. v. 34. 35. 36. Luc. 2. v. 34.* & legis prædicationem sequitur, omnis concupiscentia & peccatum admodum peccans *Rom. 7. v. 8. 13.* & præstantissima opera à fidelibus præstita, imperfectiones; & ardentissimas piorum preces, vexatio distractionum & mentalium evagationum. De gravi, difficili, rigidâ, & infideles ac sectarios abalienante doctrinæ reformatæ formulâ in conqueruntur cap. de trinitate, personâ & officio Christi Sociniani; in cap. de prædestinatione, & gratiâ Dei cum annexis, Remonstrantes; in cap. de disciplinâ ecclesiasticâ, non tantum extranei, sed & complures, qui intus sunt. Quid hic faciendum; an ideo in catechesi & confessione nostrâ omnia hæc inducenda? aut saltem *τὸ hic magister non tenetur capitibus illis adscri-*

scribendum? Aut divortium morum, & praxios à lege, obeliscis in margine appositis indicandum? An potius generalis aliquo confessio dictis consensus formulis ecclesiasticè conceptis ac receptis, & supremarum potestatum in Belgio fœderato confirmatione denuò munitis anno 1651. substituenda: ad uniendas scilicet omnes sectas Christianum nomen prætendentes aut affectantes, eaque in unum templum compingendas? Talis confessio- nis specimen exhibet nobis catechesis Goudana, & Acontii liber de strata- gematis Satanæ, Remonstrantibus tantopere laudatus: ubi à fraternâ unio- ne nulli Arriani, Photiniani, Samosateniani, Pneumatomachi, &c. exclu- duntur. Vide quæ de henoticis Acontii, Socinianorum, Remonstrantium, Neutralium, Mediorum consiliis alibi ex professo monuimus, *part. 1. se- lectar. disput. tit. de necessit. & utilit. dogmatis de Trinitate; & part. 2. tit. de artic. & error. fundamentalib. & part. 3. tit. Notitia latentis & serp. hares. Antitrinit. & in diatribis de syncretismo, moderatione & tolerantia, libertate prophetandi 3. parti Polit. Eccles. inferendis.*

Concludimus veritates scripturis traditas propter hæc, aliaque, quæ pru- dentia carnalis prætexit, incommoda, aut propter ullos respectus humanos, minimè deferendas, supprimendas, nedum directè aut indirectè oppugnan- das esse. Proverb. 23. v. 23. *Veritatem eme, & ne vende,* &c. Math. v. 19. *Quisquis igitur solverit unum ex mandatis hisce minimis,* &c. Deuter. 4. v. 12. *Ne addite ad verbum,* &c. *neque detrahite de eo,* &c. Propter τὸ per acci- dens, bonum per se necessarium (necessitate præcepti divini) omittendum non est, nedum ut rejiciatur aut improbetur: nec lex divina, quæ sancta, immaculata, & norma perfectæ, nec perfectum exemplar virtutum Christi, instar plumbeæ & lesebæ regulæ ad quosvis homines, ad quævis tempora, ad quævis studia, ad quævis vitia sive endemia sive epidemica, inflectendum, adaptandum. Sic non fecit Christus cum talia ipsi evenirent *Johann. 6. v. 41. 60. 61. 66. 67. Math. 11. v. 45. 46. & 19. v. 22.* Nec Paulus *Actor. 17. v. 32. & 22. v. 22. 23. & 28. v. 29.* Nec fideles orthodoxi de doctrinâ gra- tiæ, prædestinationis, perseverantiæ quidquam remiserunt, quamvis à Re- monstrantibus, in libellis vernaculis imprimis à *Bertio, Grevinckhovio, Tileno,* aliisque, Prædestinarianorum, Calvinistarum, Manicheorum, Borboritarum, Catharorum, &c. nominibus odiose traducerentur.

Except. 4. Videtur tam accuratâ secundum legem obedientiæ, & imita- tionis Christi etiam in minimis cogitationibus, cupiditatibus, animique mo- tibus primò primis traditione atque exactione, & tam operosâ casuum conscientiæ & theologiæ practicæ explicatione, vita nobis acerba reddi: & Papalis theologia casuistica & scholastica in scholas & ecclesias reforma- tas, etiam peculiaris religio instar novi monachatus, immo & enthusiasmus

in religionem introduci; & consequenter peculiaris ac singularis populus in populo Dei, atque unâ, separatio, scisma, & secta *Præcisistarum* nomine insignienda formari. *Resp.* Quid statuendum sit de praxi pietatis, de theologiâ practicâ, & casuisticâ, de exercitiis pietatis, abundè docuisse me arbitror in 3. *part. select. dissp. tit. de theologiâ practicâ, de amore Dei; & part. 2. tit. de praxi fidei.* Et in *Asceticâ cap. 1. De theologia scholasticâ, & casuisticâ in 1. part. ritulû, de patribus, de theol. scholasticâ.* De præcîsitate ante annos complures peculiarem diatriben conscripsi; quam iteratò cum 3. *part. select. dissp.* edendam curavi. Illam si prius legere dignentur, qui vituperant quæ non noverunt Jud. v. 10., non dubito quin judicaturi sint contra dictam ἀκριβείας seu præcîsitate nihil calumniosè jactari, quod pari jure seu mavis injuriâ à profanis hominibus contra perfectionem legis divinæ, postulatam operum perfectionem, ipsam pietatis praxin, atque adeo totam theologiam, quæ practica scientia est, specialiter contra quæst. catechet. 94. 113. 115. deblaterari non possit.

Voces synonymæ in scripturâ sunt ἀκριβῶς, Ephes. 5. v. 15. ἀπολόμως Tit. 1. v. 13. 2 Cor. 13. v. 10. Priorem Beza & Erasmus in versione & notis exponunt *solenter, diligenter, accuratè, peritissimâ adhibitâ consideratione: posteriorem Beza præcisè, rigidè, quomodo glossar.* Gr. Lat. ἀπολόμως præcisè, Hesychius in lexico ἀπολόμως, σκληρῶς 1. *rigidè; Varinus in lexico ἀκριβῶς ἀκρῶς, id est, summè vehementer.* Synonymum Hebr. מְעֹד meod Deut. 6. v. 5. in omni meodecha. Psal. 119. v. 4. tu præcepisti mandata tua observari מְעֹד meod, id est, valde, vehementer. Adde quæ in scripturâ occurrunt de zelo, fervore, languore, morbo, tepore circa amorem & adhesionem Dei, de desiderio verbi divini, studio religionis & bonorum operum. Rom. 12. v. 11. Apocal. 3. v. 16. 19. Psal. 119. v. 20. 25. 31. 81. 120. 123. 139. Cantic. 2. v. 5. cum Math. 5. v. 6. & 2 Corinth. 5. v. 13. 14. Catechesis nostra qu. 115. adhibet voces exactè, severe; Gr. Sylburgii ἀκριβῶς, ἐνσπεριφῶς, Belgicè *scherpelijck*. In Catechesi eccles. Gallicarum sect. 13. zeli *vehementia*.

Si quibus libeat per artem conjugatorum grammatico-logicam, hinc edolare & denominare, sectas *vehementium, rigidorum, solertium, diligentium, zelotarum, accuratorum, languentium, suspirantium, lugentium, agrotantium, & quidni phreneticorum, stolidorum, sanaticorum seu Enthusiastarum, tremulorum, Anglicè Quakers* (historicè loquor); æquè ac sectas *soli-ipsorum, singularium, præcisistarum* seu *Præcisorum* nonnullis jam publicè in theatro totius orbis proclamare libuit; ferendum est, donec aut ipsi maledicendo, subfannando, contendendo lassii sint, aut Deus exurgat, qui non μυκται (Gal. 6. v. 7. Interim, fideles, qui tanquam filii scripturarum, à vocibus & sententiis earum,

tum minimè abhorrent, denominationum istarum explicatione, applicatione autorum conscientis relicta, cum Apostolo Act. 24. v. 14. *secundum viam illam, quam sectam nominant, Deo patrum nostrorum* (h.e. reformationum) *servire* non desinent: atque unà multiplices defectus suos, hâc in parte, sentire, deplorare, confiteri: ad omnimodam Christi gratiam confugere; juxta antiquam, tritam, & tutam semitam in *catechesi resp. ad quest. 115.* ex scripturis complanatam. Eam nos cum totâ catechesi, confessione, canonibus Dordracenis, liturgia, contra novitates, oblocutiones, detorsiones, exceptiones, incrustationes, *κρυπταὶ τῆς αἰσχρίας*, pseudo-syncretismos, pseudo-moderationes, aliasque novas laxationes, stateras dolosas, mundanas fucationes, *κηρυγματίας, ἀνθρωπίνης κρείας*, tueri ut debemus, sic etiam per Dei gratiam parati sumus. Fabellas, susurros, garritus hominum malè feriatorum, nemo in tantum curare debet; ut ob metum fingendæ novæ sectæ, per denominationem *Catharorum* aut *Præcissistarum*, de munditie seu puritate ecclesiæ cum *Erasmo ad Psal. 15.* cum aliis theologis de puritate cordis, conscientiæ, manuum, totius hominis ad *Matth. 5. v. 8. Psal. 24. v. 4. Tit. 1. v. 15. Hebr. 10. v. 22. 2 Corinth. 7. v. 1. 1 Joh. 3. v. 3. Jac. 4. v. 8.* secundum analogiam scripturarum & orthodoxæ fidei, quâcunque occasione tractare cessaret; aut de veritate in earundem tractatione, vel hilum adversariis concederet. Insigniti sunt orthodoxi tempore Waldensum, Wiclefistarum, Hussitarum titulis Insabbathatorum, Lollardorum, Bulgarorum, Turlupinorum, Manichæorum, &c. & post inchoatam anno 1517. reformationem, Hugonotarum, Geusiorum, Cinglianorum, Sacramentariorum, Picarditarum, Puritanorum, Calvinistarum (apud *Becanum in Manuali lib. 3.* in principio), adde & Gomaristarum, Contra-Remonstrantium, rigidorum prædestinatorum, purorum fratrum, Puritanorum, Stoicorum, supra-lapsiariorum, Borboritarum, &c. in Belgio nostro. Quid tum. Audi Tertullianum in Apolog. c. 3. *Ante odium nominis competeat prius de auctore sectam recognoscere, vel auctorem de sectâ. At nunc utriusque inquisitione & agnitione neglectâ, nomen detinetur, nomen expugnatur, & ignotam sectam, ignotum, & auctorem vox sola predamnat, quia nominantur, non quia revincuntur.* Confer, quæ ad quartam hanc exceptionem diffundam congestimus in cit. *disp. de Præcissitate.*

IV. *Quest. An facta qualibet hominum quorumcunque, aut saltem fidelium ac piorum, quæ in scripturis memorantur, sint exempla bona nobis ad imitandum proposita; & consequenter, an dicta & consilia eorum faciant nobis argumenta seu demonstrationes theologicas, fide divinâ, cui non potest subesse falsum, recipiendas; & facta eorum faciant exempla authentica, quæ instar legis*

sequi nobis liceat, aut insuper necesse sit. Resp. Minimè: Valet enim hic regula: Non exemplis: sed legibus vivendum. Distinximus alibi inter autentiam historiæ, & normæ seu præcepti, in 1. part. select. disp. tit. Quousque se extendat scriptura autoritatis. Istic dicta hic non repetimus: sed studiosos nostros ed ablegamus. Tantum hic per prolepsin respondemus; ad illa Pauli 1 Cor. 4. v. 16. *Thess.* 1. v. 6. 2 *Thess.* 3. v. 7. 3. ubi imitationem sui laudat, & mandat, illud fieri cum limitatione, quam adhibet 1 *Corinth.* 11. v. 1. *imitatores mei estote, sicut ego Christi.* Sed plenius hoc explicatur quæst. sequ.

V. Quæst. An exempla & praxis Apostolorum, aut ecclesiæ Apostolicæ, quæ & quousque assentiâ, directione, & judicio alicujus Apostoli fruebatur, omnibus sequentibus ecclesiis exemplum sit in regiminis & disciplinæ ecclesiasticæ administratione necessariò, aut saltem licitè ac tuto imitandum? *Resp.* Præmittimus distinctionem inter exempla Dei, Christi mediatoris, sanctorum obligatoria; & non obligatoria.

1. Dei exempla obligatoria nobis ad imitandum proposita, sunt solæ & omnes morales actiones & excellentiæ *Matth.* 5. v. 44. 45. 48. *Eph.* 5. v. 1. 1 *Petr.* 1. v. 14. 15. 16. 1 *Joh.* 4. v. 10. 11.

11. Christi mediatoris sunt vel omnes & solæ actiones morales *Matth.* 11. v. 29. *Ephes.* 5. v. 2. 3. 25. 1 *Petr.* 2. v. 21. &c., vel saltem innixæ rationi & fundamento morali, *Joh.* 13. v. 14. 15. ubi rationem exempli magis, quam individuum (seu specificum & formalem) actum imitari debemus. Quam distinctionem alibi contra *ποδνιτω* & *κακὴν ποδνιτω* inculcamus in 1. part. *Polit. Eccles.* lib. 2. Confer inter antagonistas *Papatus Chamierum* tom. 3. *panstratia* lib. 19. cap. 7. & lib. 24. cap. 9. & tom. 4. lib. 8. cap. 1. & 7.

Excluduntur ergo, primò Christi actiones omnes miraculosæ ab omnipotentia divinâ perfectæ. *Secundò* Christi actiones ad divinam ejus potestatem ac prærogativam referendæ, ut e. gr. solutio a sinæ absque præhabito consensu possessoris *Matth.* 21. v. 2. *Tertiò* Christi actiones mediatoriæ, quatenus erat summus propheta, pontifex, rex; ut e. gr. positio animæ suæ pro ovibus in satisfactionem *Joh.* 10. v. 15. donatio spir. s. *Joh.* 20. v. 22. *Act.* 2. Institutio, missio, & instructio ministrorum *Joh.* 20. v. 21. *Math.* 10. v. 15. & 28. v. 19. 20. Institutio & præscriptio novi cultus instituti, baptismi scil. & cœnæ dominicæ, *Matth.* 28. v. 18. 19. 1 *Corinth.* 11. v. 23. &c. *Quartò*, Actiones quædam accidentales, seu magis circumstantiales, & occasionatæ, seu incidentales: ut e. gr. in primâ celebratione cœnæ, quod facta sit tempore vespertino seu nocturno: post sumtam cœnam, non ante: tantum cum viris, & quidem Apostolis; pane azymo, &c. Quibus nonnulli addunt pedum lotionem, tanquam immediatè manducationi eucha-

eucharisticæ præmissam. Sed hoc ex scripturâ certò non probari, alibi ostendimus.

III. *Sanctorum* exempla omnia non esse obligatoria, sed tantum ea quæ habent approbationem à Deo sive generalem & implicitam per sententiam legis moralis, sive specialem & explicitam. Quarum illa ex scripturâ semper colligi potest, examine, adductione, & applicatione factorum ad legem: ista non semper habetur. Sicut enim omni relationi seu historię peccatorum non adscribitur continuò ἐπιτελεῖς, nec finitur aut qualificatur quale illud factum sit, moraliter bonum an malum (ex. gr. *Genes.* 19. de incestu Lothi): sic nec omnia bene facta, & exempla bona, quæ in scripturis referuntur, specialiter adscriptum habent virtutis & exempli boni atque imitandi encomium.

IV. *Apostolorum* (addo Prophetarum & Joh. Baptistę) exempla obligatoria, directiva, regulantia sunt primò omnes eorum actiones quę lege Dei exserte & directè tanquam faciendę immediatè per Deum aut Christum, mediatè per viros θεοπνεύστους præscribuntur. *Secundò* omnes actiones, quæ fundamento ac rationi morali communis, perpetui & obligatorii juris innixæ quemcumque hominem fidelem, verbi ministrum, ecclesiam institutam particularem, æque concernunt, ac Prophetam aliquem, aut Apostolum, aut ecclesiam quam Apostolicam, puta Hierosolymitanam, Ephesinam, &c. *Tertiò*, actiones, quas Deus sive immediatè, sive mediatè per Doctores & scriptores θεοπνεύστους tanquam exempla, imitandas; aut quarum oppositas docet fugiendas. *Quartò*, actiones, quas Deus immediatè aut mediatè per ministros θεοπνεύστους commendat, approbat, laudat, iisque remunerationem promittit: & quarum oppositas improbat, vituperat, condemnat; iisque poenas minatur. Exempla primæ, tertiæ, & quartę classis exempla non est quod hic indicemus: sed tantum secundæ, contra quæ à contenditibus circa regimen ecclesiæ in alterutrum extremum, excipitur. Sunt autem tales actiones baptismus fæminarum æque ac virorum *Actor.* 8. v. 12. & 16. v. 15. quia æquè sunt unum in Christo *Galat.* 3. v. 28. Baptismus, occasione ita ferente, extra cœtum ecclesiasticum, & antequam baptizandi sint formata & actualia membra externi particularis cœtus *Actor.* 8. & 16. 33. quia sufficit eos tanquam membra ecclesiæ universalis tum invisibilis, tum visibilis per fidem ac professionem Christianæ fidei, & communionem implicitam cum omnibus ejus cœtibus ac membris baptizari. 1 *Corinth.* 12. v. 12. 13. Cultus Dei & exercitia pietatis primo die hebdomadis celebranda *Actor.* 20. v. 7. quia sabbathum hebdomale ex vi quarti præcepti observandum: idque sub N. T. non postremo, sed primo die hebdomadis: mutatione

hâc circumstantiali per Apostolorum exemplum nobis commonstratâ. Gubernatio omnium cœtuum in unâ civitate tanquam unius ecclesiæ topice per unum presbyterium, ut Hierosolymitanâ *Actor. 8. v. 1. & 15. v. 4.* Antiochenâ *Actor. 13. v. 1. & 11. v. 25. 26.* Corinthiacâ *1 Cor. 1. v. 2. 2 Corinth. 1. v. 1.* Errorum, scismatum, scandalorum ecclesias presbyteriales turbantium sanatio, per autoritativa judicia & decreta synodorum quæ ex diversis membris & delegatis presbyteriorum constituuntur, *Actor. 15.* Quem locum contra exceptiones Separatistarum & Independentium vindicamus in *dispp. de classibus & synodis. 3. part. Politic. Eccles. inferendâ.*

Excluduntur autem ab exemplis necessario in regimine & directione ecclesiarum imitandis 1. *Actiones vitiosæ*, quæ sunt exempla mala, non imitanda, sed fugienda *1 Cor. 10. v. 5. 6. 10. 12. & 3.* Et tales sunt omnes actiones Apostolorum, aut ecclesiarum Apostolicarum, quæ communi indicio legis, aut speciali Apostoli alicujus, aut Christi improbantur: e. gr. Petri *Gal. 2. v. 11.* Ecclesiæ Corinthiacæ *1 Cor. 1. v. 12. & 3. v. 1. 2.* Galaticæ *Galat. 3. v. 1. 2.* Pergamensis & Thyatirensis, *Apoc. 2. v. 14. 15. 20. 2.* *Actiones heroicæ*, peculiari instinctu & mandato spir. s. præstitæ: quales Petri morte sacrilegium Ananiæ & Saphyræ, & Pauli cœcitate Elymæ magi seductionem punientis. *Act. 5. & 13.* Quæ cum Abrahami, Pinchas, Simsonis, Eliæ actionibus comparari possunt. 3. *Actiones extraordinariæ* vi extraordinariæ vocationis legitime & *ἐνταῦθα* præstitæ: quam vi ordinariæ vocationis suæ ministri præstare non tenentur, nec etiam debent. Et talis erat Apostolorum universalis quarumvis ecclesiarum, pro re natâ, inspectio, cura, plantatio, rigatio, reformatio & evangelistarum aliorumque ministrorum missio & institutio: idque vi extraordinariæ ad illud vocationis. Sicuti & Joh. Baptista tanquam præco poenitentię, alter Elias & Christi præcursor peculiare vitæ *Matth. 3. 4.* genus quibulvis non imitandum instituit. 4. *Actiones occasionatæ peculiari-ter*: quæ ad imitationem non obligant, nisi similis occasio & necessitas se offerat: ut communitas illa bonorum *Act. 2. & 4.* & Evangelii prædicatio *ἀδελφῶν*, sine stipendio *1 Cor. 9. v. 12. 15.* cum *Actor. 20. v. 24.* De quo alibi contra Anabaptistas dictos Huntericos, ubi de communione bonorum disseritur: & nos *part. 1. Polit. Eccles. lib. 4. ubi de stipendiis ministrorum.* 5. Actiones eorundem, quatenus erant Apostoli h. e. extraordinarii ministri: & quatenus erant sympresbyteri, *1 Petr. 5. v. 1.* Illas nullus minister ordinarius: istas nullus privatus fidelis imitari debet.

DE EXEMPLO BONO, EJUSDEMQUE IMITATIONE,
ET OPPOSITO SCANDALO.

P A R S T E R T I A.

Resp. HENRICO SNAPPER Ultrajectino 26. Junii 1662.

VI.



Uæst. An exempla V. T. transferenda sint ad usum no. S. i. Arum? Resp. de hâc quæst. ex professo agit Aretius part. 2. problem. pag. 388. edit. in 8. Sunt duæ extremæ sententiæ.

Una erat olim Manichæorum, qui in solidum vetus testamentum condemnabant, legem & Prophetas rescissis ac interituris arboribus comparabant, & principem tenebrarum in lege & Prophetis locutum dicebant, teste Epiphanio heres. 66. Cum quibus hætenus Anabaptistæ illi conveniunt, qui nullas inde probationes sive testimonia sive exempla, ad fidei morumque informationem admittunt. In Confessione anno 1618. cum ipsorum martyrologio, & postea anno 1620. seorsim in 8. edita, artic. 11. ajunt omnes fideles N. T. debere se necessario componere tantum ad Evangelium Christi: quod ibidem à doctrinâ V. T. exsertè distinguunt. In colloq. Francothalensi art. 1. §. 14. respondet Joh. Buchel. quicquid in Veteri Testamento probari potest non repugnare doctrinæ Christi, recipimus tanquam ægrius. Quod Thieboldus ibid. §. 18. ulterius sic explicat. Quod Christus & Apostoli omnia docuerunt, quæ ad salutem sufficiunt: & quod Moses per doctrinæ suæ insufficientiam, nobis monstraverit Christum: Joh. de Riis in exhortat. suâ Amstelodami anno 1596. institutâ, docet legem & doctrinam Moysi Christianos jam non concernere, nec illis cum ea quidquam esse negotii. In actis colloqu. Leovardienfis art. 28. Petrus van Ceulen, negabat tam per V. quam per N. T. scripta articulos præcipuos fidei Christianæ confirmari posse ac debere. Inter Socinianos Smalcius in præfat. ad refutationem thesium Frantzii: Quidquid ex V. T. ad probandam religionem adfertur, id non tam ad confirmandam eam, vel fidem ei faciendam, quam illustrandam & commendandam facit. Socinus de autorit. scripturæ cap. 1. innuit lectionem V. T. esse utilem, non tamen necessariam. Cateches. Racoviana cap. 2. certitudinem scripturæ tam N. quam V. T. proponit; sed illam solummodo probat.

Altera extrema sententia est eorum, qui promiscuè quidvis tanquam ob-

servatu necessarium inde adducere solent ad mores nostros & ad regimen ecclesiasticum ac politicum formandum.

Nos breviter adhibitis distinctionibus sic determinamus 1. *Concl.* quæ est generalis, rationes ab exemplis tum V. tum etiam N. T. ductas concludere posse necessariò, cum scil. unum particulare ex alio particulari probatur vi similitudinis communis toti generi, sub quo ea particularia continentur. Debet ergo simile esse id, quod proponitur ei, de quo arguitur: deinde debet similis illa ratio communis esse universo generi; & inde ab exemplo exemplante ad exemplum exemplandum (ita loquar) consequentia duci. Secus si sit, ne probabiliter quidem exemplum concludit. Variis instantiis id probatur. Cerinthiani, Ebionæi, Æthiopes Abassini asserunt infantes Christianorum circumcidendos esse exemplo *Christi*. Et quid si quis dicat Paschalem agnum comedendum exemplo *Christi*. Aut cum Arabibus & Muhammedistis, nos decimo tertio ætatis anno circumcidendos exemplo *Ismaëlis*. Aut cum feminâ Samaritanâ *Joh. 4.* in monte illo Deum adorandum. Vide *Raynoldum* more suo eruditè & accuratè hoc explicantem *lect. 186 - 190. in apocrypha.*

2. *Concl.* Quorumvis hominum dicta, consilia, facta in scripturâ V. T. relata, non sunt exempla obligantia.

3. *Concl.* Omnia Prophetarum & scriptorum *ἱστορικῶς* facta, ut Moysi, Abrahami, Jacobi, Davidis, Salomonis, &c. non sunt nobis exempla obligantia ad imitationem.

4. *Concl.* Idem dico de dictis, & consiliis eorum. Effutiit enim Moses verba quædam *Psal. 106. v. 33.* & David proditoriâ epistolâ Uriæ perniciem molitus est *2 Sam. 11.*

5. *Concl.* Et de factis quibusdam à peculiari & extraordinario Dei instinctu, mandato, & motu profectis: ut Pinehas, Eliç, &c.

6. *Concl.* Perpetua praxis eorum in regimine ecclesiæ, nos obligat ad imitationem in iis quæ sunt juris universalis perpetui, & immutabilis. In reliquis minimè. Quia sunt non tantum omnia typica, aut ad legem ceremonialem aut ad legem forenses pertinentia, sed etiam purè peristatica, & ambulatoria illi populo, non tantum ecclesiasticè, sed etiam politicè tanquam peculiari Dei populo, & quidem diversis in locis ac temporibus, in familiis Patriarcharum, in Ægypto, in deserto, sub iudicibus, sub regibus, in captivitate Babylonicâ, sub ducibus post reditum ex captivitate, observata. Sicuti enim in primâ ecclesiâ Apostolicâ, ejusdemque primâ plantatione, ac propagatione quædam facta, aut observata, aut tolerata sunt; quæ succedentes Ecclesias, earumque ministros ad perpetuam imitationem aut ordinariam observationem non obligant: ita & in regimine Ecclesiæ V. T. quæ-

quædam fieri, observari, admitti, tolerari potuerunt, quæ imitari partim non tenemur, partim nobis non licet, ex. gr. polygamia, & libellus repudii (extra casum adulterii) nec typica erant, nec lege ceremoniali mandata: propter illa tamen communis tolerantia & conniventia peccata, ecclesiâ à sacrorum communione non excludebat peccatores: quos tamen arcebat ob immunditiam aliquam ceremonialem. Quod Ecclesiâ in N. T. imitandum non est. Præterea alligabat omne ministerium sacrum uni tribui Levitarum, omne sacerdotium uni familiæ Aaronicæ, præstantissimas quasdam cultus œconomici partes, immo & preces suas uni tabernaculo aut templo. Ut jam de politiâ nihil dicam, ubi post Samuelem regia majestas, quamdiu per Dei voluntatem forma illa regiminis stabat, uni familiæ Davidicæ alligata erat. Similiter ac in N. T. communio aliqua bonorum *Actor. 2. & 4.* & Evangelii absque stipendio in aliquâ ecclesiâ (non tamen pauperculâ) prædicatio. *Actor. 20. v. 34. 35. 1 Cor. 9. v. 18. 19.* zelus, cupiditas, propositum prædicandi Evangelium, ubi Christus non erat auditus *Rom. 15. v. 20-22.* Polygamorum ex Ethnicismo aut Judaismo ad fidem Christi accedentium, in primâ ecclesiarum plantatione tolerantia, non tamen approbatio *1 Timoth. 3. v. 2.* Ad tria priora absolutè non tenentur omnes ecclesiæ & ministri: posterius ecclesiis bene constitutis non licet; ut scil. polygamos in communionem recipiant, aut lapsos ac impenitentes in eadem retineant.

Omnibus ergo illis exceptionibus & limitationibus adhibitis, dicimus omnia quæ in V. T. scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta esse *Rom. 15. v. 4.* & utilia nobis esse ad doctrinam, redargutionem, &c. *2 Timoth. 3. v. 16.* ut formaliter & in specie nobis sint exempla aut fugienda, *1 Cor. 10. v. 11.* τὰς ἐν τούτοις τῶν τοις σωθεῖσιν ἐκείνους, ἐγγράφη ἐν μέσῳ τοῦ ἱεροῦ ἡμῶν, &c. aut sequenda, *Hebr. 12. v. 1.* cum *cap. 11.* præcepta autem omnia ad minimum quod ad genus seu generale aliquod inde extractum, non in formâ & specie, sed analogicè usui & imitationi nostræ inserviunt.

Consectar. 1. Malè Anabaptista, Sociniani, & sequaces eorum statuunt, aliam legem moralem fuisse in V. ac in N. T. quam legem Evangelicam appellant: quasi per illam in foro conscientia aliqua licita fuissent, quæ per istam nunc essent illicita: qualia sunt, usus gladii, bellum, juramentum, repudium, polygamia, concubinitus.

2. Nec minus malè, si non longè pejor, libertas christiana extenditur ad moralia aliqua in V. T. per rigorem legis in foro conscientia illicita, quæ nunc sub N. T. essent licita. Quasi scil. ad amorem & gratitudinem erga Deum nostrum ex præscripto legis moralis præstandam, minus strictè & exactè quod ad extensionem & intensionem, obligaremur, quam fideles V. T.

VII. *Quest. An cujusque ecclesiæ post-Apostolica, antiquissima antiqua, media, nova sive ab Antichristo corrupta, sive reformatæ, præcedens aut præsens praxis, in modo & executione regiminis, omnibus passim ecclesiis, aut huic atque illi ecclesiæ, sit exemplum obligans? Resp. Hoc istis conclusionibus determinatur.*

1. *Concl. In substantialibus & generalibus regiminis verbo Dei præscriptis, si omnes ecclesiæ antiquæ aut novæ nobis darent exemplum: utique grato animo id agnoscendum, & zelus imitationis excitandus. Si nullæ, aut pauciores ecclesiæ exemplum darent; immo si contra statutis & exemplis malis à bono nos abducerent: habent ecclesiæ quælibet exemplum ecclesiæ Apostolicæ & regulam verbi divini, quam sequantur vel cum paucioribus, vel etiam solæ: uti hoc alibi explicuimus, 1. part. polit. ecclesiast. lib. 2. tr. 1. ubi de canonibus ecclesiasticis. Antiquitas & consuetudo sine veritate, nil nisi antiquus & consuetus error est: uti & novitas sine veritate novus error est.*

2. *Concl. In peristaticis, & mutabilibus adiaphoris circa regimen ecclesiasticum, nec antiquæ nec novæ ecclesiæ sive præcedens sive præsens consuetudo, nos obligare debet: sed personis, temporibus, & præsentibus rerum statui omnia accommodanda, ad majorem ædificationem; & toties mutanda, quoties melior hujus, aut ecclesiæ ædificatio id suaferit. Neque enim versantur hic in ideali Republicâ Platonis; nec peristatica determinatio aut praxis hic & nunc, in generale dogma aut immobilem articulum fidei transformanda, quo conscientię semper & ad semper obligentur.*

3. *Concl. Hoc tamen vitandum non tantum in theoreticis, sed etiam, & imprimis in practicis, ne ab unâ parte simus soli ipsi, qui nihil ab aliis dictum aut factum agnoscere, admirari, probare, imitari velimus; in solis ab ingenio nostro ortis ac primum (uti putamus) inventis acquiescentes, & sic ad singularitatis fastigium enitentes. Contra illud 1. Thessal. 5. v. 6. 7. Prophetias ne contemnitis. Eccles. 4. v. 10. Væ uni, cum ceciderit, &c. Et huc applicandum illud Græcorum proverbium: οὐδὲν ἑαυτοῦ, οὐδὲν ἑαυτοῦ. Maximum vanitatis & ventosæ αὐτοῦδεας signum est, nihil velle tanquam exemplar aut exemplum, etiam in sapientissimis & probissimis, aut in majoribus, aut præceptoribus, aut amicis suis intueri & sibi proponere: quia scilicet jam tritum est, aut saltem aliis etiam notum, aut non est novum ac singulare, aut à te primitus non inventum, non factum. Nec tamen ab alterâ parte tam ductiles & stolidi imitatores quorumvis dictorum & factorum etiam à sapientibus & bonis immo optimis profectorum esse debemus, ut absque rationali examine de iis peremptoriè statuamus aliquod αὐτοῦ ἐπινοῶν: uti Pythagoræ discipuli de ipso, αὐτὸς ἐφασκε.*

Contra

DE EXEMPLO BONO, EJUSDEMQUE, &c. 145

Contra 1. Thels. 5. omnia probate, &c. & Cor. 11. v. 1. imitatores mei estote, sicut ego Christi. 1 Cor. 7. v. 23. Ne estote servi hominum. Talibus rectè occinitur illud poetæ: O imitatores servum pecus, ut mihi saepe Risum, &c. Prov. 3. v. 5. Fide domino in toto corde tuo, & intelligentiæ tuæ ne in-
nitaris v. 7. Ne sis sapiens in oculis tuis, &c.

VIII. Quæst. An nihil agendum sine exemplo præeunte; seu an præstantius sit tum in vitâ communi, tum in regimine ecclesiastico, exempla aliis dare, quam ab aliis expectare? Resp. Respondemus istis conclusionibus.

1. Concl. Beatius est dare, quam accipere Actor. 20. v. 35. quia, juxta philosophum. 4. Ethic. Nicomach. cap. 1. Hominis liberalis est magis dare, quibus dare oportet, quam à quibus accipere oportet, accipere. Virtutis magis est vò benefacere, quam τὸ εὐπρόσχων bene pati. Unde sequitur bona exempla dan-
da Math. 5. v. 16. Sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videntes opera, &c. Hebr. 10. v. 24. καὶ ἑαυτοὺς ἀλλήλους εἰς παρακλήσαντες ἀγαπᾶν καὶ ἑαυτῶν ἔργων.

2. Concl. Minus malus est, qui per incitiam veræ pietatis & honestatis, aut per ἀπιστίαν τῶ καλοκαγαθῆς, aut per carnalium affectuum domi-
nium, aut per negligentiam & teporem, aut per aliam quam εὐπεισίαν in-
firmi-
firmitatem præclara exempla non dat: patitur tamen ea ab aliis se sapien-
tioribus ac melioribus dari.

3. Concl. Pessimus est, qui cum ipse præclara sapientiæ, pietatis, di-
ligentiæ, ἀκεραΐας, beneficentiæ, aliarumque virtutum exempla dare aut
nolit, aut non possit, non patitur ab aliis dari; immo si dentur, eadem
excogitatis commentis, sycophantiis, calumniis, & forte ultra insectatur:
idque ex merâ invidiâ, superbia, ambitione.

Nec ferre potest (canente Lucano) Casarve priorem,
Pompeiusve parem.

Stat enim illi αἰὲν ἀεστεύειν καὶ ὑπερέχειν ἑμμενῶς ἀλλῶν. Maledictum est illud
dictum Ephesiorum Hermodorum ex urbe suâ ejicientium à Strabone lib.
14. Geogr. & à Cicerone in Tuscul. quæst. lib. 5. sub finem: ἡμεῶν μηδὲς
ἐντὶ τοῦ ἐσθλοῦ, ἐνδὲ μὴ, ἀλλὰ καὶ μετ' ἀλλῶν, id est, Nemo nostrum optimæ frugi esto;
aut alibi id esto, aut inter alios. Quod factum & directum ita detestatus est
sapiens Heraclitus & ipse Ephesius, ut pronunciaret dignos esse Ephesios, qui
ad puerum usque omnes strangulentur; teste ibid. Strabone. Ita sc. oderunt
omnes exsuperantiam virtutis: ut Cicero ibid. loquitur, addito exemplo Ari-
stidis ex patriâ suâ ob eximiam justitiam pulsi. Si talibus majoris studii,
& conatus, aut etiam profectus in viâ sapientiæ, & virtutis hostibus, A-
thenien-
theniensium ostracismus adesset: vix multis eruditione, aut virtute sive in
togâ sive in sago excellentibus; cum infernalis hæc superbissimæ invidiæ
pestis istorum ordinum viris maximè infesta sit.

4. *Concl.* Nemo tamen tam abjecti tam tepidi animi esse debet, ut à divinitus imposito aliis prælucendi officio abstinere velit: ob metum scilicet passu uno atque altero forte alium quem prævertens, qui sibi turpe putat relinqui, indignationem ejus incurrat, tanquam luminibus ipsius obstruens. Quod per se bonum est, & ad quod quis per se jure divino obligatur, omittendum non est, proptur per accidens secutura mala turpia & tristitia; non magis quam facienda sunt per se mala & vetita, ob bona aliqua per accidens secutura. Utinam adhærens hominibus segnities & molities, non excuteret ipsis sensum & recordationem primi & maximi illius præcepti: *diliges dominum Deum tuum ex toto corde, &c.*

Consectar. 1. Indignæ sunt homine Christiano vulgares ille exceptiunculae, Nulli, aut saltem non multi ex majoribus nostris, ex familiâ nostrâ, ex ordine nostro, ex proximis prædecessoribus nostris, tale quid, aut toties, aut tum, aut tali modo fecerunt; aut à malo isto bene posito, aut à specie, aut occasione mali abstinuerunt: Ergo nec ego faciam, aut abstinebo.

2. Multo indignius est plusquam Manlianum imperium verbis, sive explicite sive implicite, aut ipsis factis indicatum: *Ego sic feci, aut faciam: aut ego sic non feci, non facio, non faciam: aut nunc mihi sic variare libet, nunc sic muto.* Ergo tu sub pœnâ imponendi tibi, novam factionem, aut turbatam pacem, &c. Ne latum unguem à me discede; tu me sequere, tu inter easdem lineas curre aut ambula.

P R Æ C O G N I T A

D E

S C A N D A L O.

§. 2. **V**ox Græca scandali occurrit *Math.* 13. v. 41. & 16. v. 23. & 18. v. 7. synonymum ejus *πρόσκομμα*. *Rom.* 14. v. 13. *πρόσκομμα τῆς ἀδελφῆς ἢ σκάνδαλον*. Verbum *σκάνδαλιζειν* *Math.* 5. v. 29. 30. 1 *Cor.* 8. v. 13. &c. Hefychius in lexico scribit masculino genere *σκάνδαλον*, & exponit per synonymum *ἐμποδισμός*. Etymon ejus sic explicat Etymologicum magnum: *σκάνδαλον, παρὰ τὸ ζυγίζω, ὁ σημειναι τὸ χαλκῖναι*. Definitionem nominalem per synonymiam ibidem affert geminam: *λέγεται τὸ σκάνδαλον ἢ διαστροφή*. Et, *σκάνδαλον τὸ σκάζον πρὸς τὴν ἀλήθειαν*. Hebræis dicitur *מכשול* *Levit.* 19. v. 14. *Jerem.* 6. v. 21. *כשולן* *Prov.* 16. v. 18. *מכשול* *Jes.* 3. v. 6. *Zephan.* 1. v. 3. à rad. *caschal* impegit, offendit, lapsus est.

Describi potest scandalum proprie dictum, quando dicto aut facto, aut dicti

dicti, factique omissione, quæ per se mala aut speciem mali habet, alicui occasio datur peccandi. Basilius lib. 2. de baptismo ad quæst. 10. describit, quod sit omne quod ad defectionem veritatis secundum pietatem, aut provocationem erroris inducit, aut edificat ad impietatem: in summâ, omne quod prohibet mandato Dei obedire usque ad mortem ipsam. Distinguitur vulgo cum scholasticis ac Casuistis ex Thomâ 2 2. qu. 43. art. 1. & 3. in *activum* & *passivum*.

I. Illud est actus aut ommissio, quæ alteri occasio peccati aut ruinæ. *Illud* est ipsum peccatum aut ruina. *Activum* duplex est, vel per se vel per accidens. *Activum per se* est, quando quis intendit peccatum aut ruinam alterius. *Activum per accidens*, quod est præter intentionem. Inter quæ *medium* est, quod *activum* & *per se* & *per accidens* dici potest: *per se* ratione operis, quia ex natura operis alteri datur occasio peccandi: *per accidens*, respectu operantis, quia hoc minimè intendit.

II. *Passivum* est ejus qui impingit & scandalizatur. Quod vulgo distinguunt in datum & acceptum. *Datum est*, quod verè oritur ex activo scandalo alterius; quod etiam scandalum infirmorum seu pusillorum dici solet. *Acceptum* est lapsus seu ruina alterius, non verè orta ex scandalo activo operantis, sed ex malitiâ propriâ labentis. Sed hæc non est divisio generis in species; sed solummodo distinctio vocis ambigüe in sua significata. Siquidem acceptum scandalum, respectu agentis quid aut omittentis non est scandalum, quia impedimentum & obicem illi non ponit in cursu pietatis, nec quid operatur aut cooperatur ad alterius seductionem aut lapsum: sed est solummodo occasio passiva, seu per accidens.

III. *Scandalum* activum rursus à nonnullis scholasticis & casuistis distinguitur in generale & speciale.

DE EXEMPLO BONO, EJUSDEMQUE IMITATIONE, ET OPPOSITO SCANDALO.

P A R T I S Q U A R T A.

Resp. SALOMONE BOR Embricâ Clivenfi 28. Junii, 1662.

Præcognita de Scandalo.

III.  Candali distinctio in *universale* & *speciale* à Casuistis Ponti-ſ. i. ficiis, sic exponitur: quod *illud* sit, quando quis peccando alterum inducit, eique occasionem scandali passivi præbet; sed non intendit ejus ruinam spiritualem: *Illud* sit, quando quis alterum ad peccatum inducit intendens ejus spirituale damnum.

IV. Scandalum *actuum* posset etiam ratione objecti seu materię, per extrinsecam denominationem distingui in *universale*, & *speciale*. *Illud* est, quando quis aut universę religionis apostaticę professione & exercitio, aut universę vitę ac conversationis totali improbitate alteri prębet occasionem ruinę. *Istud*, quando particularis erroris aut hęresios professione, etiam dogmatizatione, aut peccati specialis adhęrentis consuetudine, aut lapsu aliquo graviore & conspicuo alteri impingendi occasionem prębet.

V. Scandalum acceptum itidem ratione materię distingui potest, in universale & particulare. *Illud* est, quando quis ob formulam seu confessionem seu systema religionis Christianę, aut reformatę; aut propter postulatum observantię exactę, perfectę, & immaculatę legis divinę in Ecclesiis traditę, scandalizatur.

VI. Distinguitur etiam scandalum acceptum ex causis, in Pharisaicum, & in Pusillorum: quorum illud ex malitiã, & contumaciã; istud ex ignorantia aut infirmitate procedit. Pusilli & infirmi in fide strictę dicuntur illi, qui circa libertatem Christianam in N. T. sufficienter instituti non sunt, 1 *Corinth.* 8. v. 7.

VII. Distinguitur in simplex & in duplex. *Illud* est cum committitur factum ex se malum: in quo duplex peccatum. *Istud* est, cum factum in se est adiaphorum, sed id in tempestivę vel sit vel omittitur, contra regulam caritatis & prudentię. Fit autem hoc dupliciter, vel committendo aliquid, quod speciem mali habet: vel temere committendo aliquid, quod nobis non est necessarium.

VIII. Dividitur scandalum datum secundum objecta: ut aliud scandalizet à fide & ecclesiã extraneos; aliud domesticos fidei, eosque aut sapientes & viros (quod tamen non ita frequens), aut infirmos & infantes in Christo. Vide 1 *Cor.* 10. v. 32. *Estote ut probumini* & *Judeis*, & *Gentibus*, & *Ecclesię Dei*.

IX. Aliud est exterius, aliud interius. *Illud* est, quo quis alium scandalizat. *Istud* quo quis seipsum scandalizat: cum scilicet quis per veterem hominem offendit novum. *Marc.* 9 v. 43. 44 45.

X. Utrumque scandalum tam datum quam acceptum spectatur vel in se seu active, vel ratione eventus seu passive. Posterius rursus ratione effectus distinguitur in illud, quod ad imitationem provocat & ducit: & in illud, quod tristitiã afficit, & quocunque modo turbat pacem ac tranquillitatem conscientię scandalum accipientis 1 *Corinth.* 8.

Quæstiones generales de Scandalo.

I. **Q**UÆST. *An omne scandalum sit peccatum?* Resp. Aff. 1. De Scandalo activo, sive cum intentione scandalizantis, sive absque intentione; cum scilicet ex ipsâ naturâ dicti aut facti occasio lapsus oritur. Sive quis in se & per se malum committat, sive speciem mali, aut aliquod per accidens malum; quando quis secundum caritatem & prudentiam Christianam, suâ libertate non rectè utitur. De quo vide 1 Cor. 8. & 10. 2. De Scandalo passivo Aff. Quia omnis lapsus aut ruina spiritualis est peccatum. Nunquam enim in bono licet deficere, aut mali quid facere: quæcunque irritamenta, & incitamenta peccandi ab aliquo obijci contingat. Scandalizans enim ejusque factum, non est causa principalis, physica, directâ ruine in scandalizato: sed tantum occasio passiva, quando scandalum passivum est purè acceptum; & ad summum causa minus principalis, impulsiva, moralis aut occasio activa, quando scandalum est activum.

Sed contra adferri posset, ex Matth. 16. v. 23. Christum immunem ab omni peccato dicere, Petrum sibi scandalum esse. Resp. non notari illic scandalum propriè dictum, sed latâ significatione *impeditionem*, quâ Petrus volebat passionem Christi impedire.

II. **Q**UÆST. *An scandalum sit speciale peccatum, quod per formalem suam rationem in specie constituatur, & sic ab aliis distinguatur; an vero tantum denominationem ab aliquâ circumstantiâ specifico cuique peccato addat?* Resp. Istis conclusionibus.

1. **Concl.** Aff. pr. & neg. poster. de scandalo activo per se, quod est ex intentione scandalizantis. Ratio à Thomâ & scholasticis ad 22. qu. 43. artic. 3. communiter assignatur duplex: una, quod specialis finis qui intenditur à scandalizante, nocumentum scilicet proximi (intendit enim alium dicto vel facto inordinato trahere ad peccandum) constituat rationem specialis peccati; & quod finis det speciem in moralibus, uti hoc præsupponitur probatum in 1. 2. qu. 1. artic. 3. & quæst. 18. artic. 4. 6. 7. Altera ratio est, quod directè opponatur speciali virtuti seu operi bono, *correctioni* scilicet *fraternæ*, in quâ attenditur specialis nocumenti remotio. Ratio utraque sic satis placet. Sed quid si in posteriori, *correctioni* substituatur, aut saltem addatur *exemplum bonum*, ad quod omnes dictis & factis suis proximo præbendum tenentur Matth. 5. v. 16.

Obiect. Omne peccatum [externum scilicet] est dictum vel factum malum: ergo activum scandalum non differt à quocunque speciali peccato. Resp. materialiter seu secundum materiam consideratum, non constituit novam

& specialem rationem peccati: sed ex speciali intentione finis, nocumēti scilicet spiritualis proximi, habet formalem specialis peccati rationem. *Sicuti*, inquit Thomas loc. cit. *furtum est speciale peccatum, aut homicidium propter speciale nocumentum proximi*. Sed de specificatione peccati, & an aliquid sit de essentiā seu formali ratione peccati, an vero tantum sit accidentalis circumstantia, gradum seu exaggerationem speciali illi peccato addens, alibi agimus *part. 1. Polit. Eccles. lib. 4.* ubi vanum & novum heureka de Achane non punito ob sacrilegium excutimus.

2. *Concl.* Thomas loc. cit. negat passivum scandalum posse esse speciale peccatum: quod ex dicto vel facto alterius occasionem peccandi sumens non constituat specialem peccati rationem; quia non importat specialem deformitatem speciali virtuti oppositam. De quo nunc subtiliter non disquirimus.

3. *Concl.* Scandalum activum per accidens, seu præter intentionem scandalizantis non esse speciale peccatum, hæc ratione Thomas *ibid.* probat, quia quod est per accidens non constituit speciem. Circa quod non vacat nunc *τὸ ἀνεξετάστου* sectari.

III. *Quæst.* An quodcumque scandalum datur activum, necessario ei respondeat passivum? *Resp.* Neg. potest enim aliquis abique lapsu & ruinā spirituali, ab hæreticis, aut peccatoribus tum dicto tum facto incitari, & invitari ad peccatum. Et hoc toties fit, quoties magis attenditur ad verbum Dei, quam ad mundi allicia. *Prov. 1. v. 10. Si pellegerint te peccatores, ne velis*, &c. Vide exemplum Ecclesiæ Smyrnenfis *Apocal. 2. v. 9.* Coincidit ferè hæc quæstio cum eā; quæ alibi in materia de tentationibus proponi solet; An omnem tentationem diaboli aut mundi necessario comitetur aut sequatur admissio tentationis, & tentatio propriæ carnis, subferviens tentationi diaboli & mundi. Valet enim vulgatum illud philosophorum axioma tam in moralibus quam in naturalibus: *actio recipitur non ad modum imprimētis, sed ad modum receptivitatis*. Et, *Non tam necessaria patiens patitur, quam agens agit*.

IV. *Quæst.* An quis seipsum scandalizet: seu, an unus idemque homo simul scandalii activi & passivi subiectum esse possit? *Resp.* Absolutè negandum non est. Quamvis enim strictè & propriè *τὸ scandalizare* respectum habeat ad alium; analogicè aut actuale dici potest scandalizare eundem hominem, hoc est, homo seipsum per peccatum ad aliud peccatum, ad graviores lapsus incitare *Matth. 18. v. 9. si scandalizet te oculus tuus*, &c. Sicuti homo dicitur proprium cor seducere *Jacob. 1. v. 26.* & à se tentari cum à propriâ concupiscentia seducitur. *Ibid. v. 14.* Considerantur enim in homine quasi duo homines, duæ leges, duæ formæ, duo adversa principia agendi *Galat. 5. v. 17. Roman. 7. v. 14.* usque ad finem.

V. *Quest. An Bonum spirituale propter scandala sit dimittendum?* Resp. De hoc *Thomas quest. 43. artic. 7.* Nos istis conclusionibus sic determinamus.

1. *Concl.* Bonum spirituale nunquam sic dimittendum est, ut propter scandala accepta, malum aliquod faciamus. Hic tenet regula *Rom. 3. v. 8.* quæ nullam patitur exceptionem.

2. *Concl.* Bonum spirituale ad salutem propriam necessarium nequaquam dimittendum est propter scandalum: neque enim tenemur peccare, & propriam salutem negligere, ut alterius peccatum impediamus, ejusdemque salutem promoveamus. Plus debet homo, secundum ordinem caritatis suam salutem spirituales diligere quam alterius: sic ex.gr. debita confessio, professio & defensio veræ religionis omittenda non est. *Gregor. M. homil. 7. in Ezech. Si de veritate scandalum sumitur, utilius nasci permittitur scandalum, quam quod veritas relinquatur.* Vide de necessitate confessionis *disput. nostras de confess. & martyrio, & de confessionibus atque apologiis 2. & 3. part. Politic. Eccles. inferendas.* Hic præit nobis exemplum Christi *Matth. 15. v. 12. 13. & Johann. 6. v. 67.* qui tale scandalum contemnebat.

3. *Concl.* Bonum spirituale ad propriam salutem non necessarium necessitate mediis, vel occultari vel differri potest ad tempus, ejusdemque oppositum malum ad tempus tolerari, propter scandalum infirmorum. Exemplo sint correctio seu correptio fraterna, & excommunicatio; quæ differri possunt, ob metum præsentis scandali infirmorum, & scismatis aut cujuscunque majoris mali inde orituri. Et citatur dictum *Augustini lib. 1. de civit. Dei cap. 9.* „Si propterea quisque objurgandis & corripiendis malè agentibus parcat, quia opportunius tempus inquirat, vel eisdem ipsis metuit ne deteriores ex hoc efficiantur, vel ad bonam vitam & piam erudiendos impediunt infirmos alios, & premant atque avertant à fide, non videtur esse cupiditatis occasio, sed consilium caritatis.

4. *Concl.* Bonum tamen illud nec occultandum, nec differendum amplius, propter scandalum Pharisæicum h. e. ex invidiâ, merâ perviciâ, ad impedienda spiritualia bona, profectum: nec boni oppositi *utrimque* diutius conniventia, tolerantia, moderatione prosequendum. Sic Apostolus ad horam noluit cedere, aut Titum circumcidi *Galat. 2. v. 3. 4. 5.* Et *Apocal. 2. v. 2.* laudatur angelus ecclesiæ Ephesinæ, quod non toleraret malos. Sic inter spiritualia bona numerantur publicæ prædicationes, & publicæ privatæque catechizationes; adhuc privatæ & frequentes ovium ministris ecclesiæ commissarum visitationes, omniumque, quæ ad majorem ac meliorem ædificationem pertinere novimus, diligens praxis atque executio. Atqui omnia illa propter metum scandali, offensionis, dissidii, contentionis,

tionis, & consequenter multiplicis calumniæ, convitii, sycophantiæ, obtre-
ctationis apud alios sive inertes, sive ignavos, sive *αὐτάρκεις* & æmulos inde
orituræ, non sunt omittenda. Damna enim à sycophantiis, irrisionibus, li-
bellis famosis privatæ fidelium quorundam famæ, & honori ministerii, at-
que adeo per latus eorum publicæ paci & tranquillitati populi inferenda,
æquiparari non possunt cum lucro veritatis, pietatis, ædificationis ex dili-
genti praxi modo memoratâ. Studium gloriæ divinæ, cura conscientiæ,
promotio veritatis, & pacis, fidei, & pietatis in populo Dei, suprema lex
esto: quidquid eveniat aut non eveniat. Luc. 14. v. 6. *Si quis venit ad me, &
non odit patrem suum*, &c. Confer 3. part. Polit. Ecclej. ubi de tolerantia
& moderatione ecclesiastica; & infra disp. de Officiis caritatis erga proxi-
mum peccantem. In transitu hic notandum exemplum boni spiritualis ad
salutem non necessarij, quod adfert *Thomas loc. cit.* de monachatus seu reli-
gionis professione & consiliis Evangelicis, ad non entia relegandum; &
consequenter vanæ disquisitiones, distinctiones, & determinationes Docto-
rum circa casum propositum ad disputationes de non ente. Idem judican-
dum de illis, quæ ex distinctione peccati venialis & mortalis ad hanc quæ-
sitionem conferunt.

VI. *Quest. An bona temporalia propter scandala sint dimittenda. Resp.*
Istis conclusionibus.

1. *Concl.* Aliquando esse dimittenda, in genere probari potest ex
1 Corinth. 6. v. 7. *Cur non potius damnum accipitis*, &c. Matth. 5. v. 40.
Dimitte illi etiam pallium 1 Corinth. 9. cum *Actor.* 10. ubi debitum sti-
pendium Apostolus dimittit. Et Matth. 17. vers. 27. *Ne illos scandalize-*
mus, &c.

2. *Concl.* Propria nostra bona aliquando, propter scandalum pusillo-
rum dimittenda sunt, aut scandalum sedandum. Hoc accersunt scholastici
cum *Thomâ qu.* 43. art. 8. ex Augustini lib. 1. de sermone domini in mon-
te cap. 4. ubi hæc verba: *Dandum est, quod nec tibi nec alteri noceat, quan-*
tum ab homine credi potest. Et cum negaveris, quod petit, indicanda est ei ju-
stitia: & melius et aliquid dabis, si competentem iniuste correxeris. Unde fa-
cile colligimus, de parte bonorum, aut de hypotheticâ, in hoc aut in illo
peculiari necessitatis casu, dimissione hoc inteiligendum; uti & verba Chri-
sti & Pauli cit. satis innuere videntur. Nam ut quis absolute & semper
bona sua ob pusilli alicujus acceptum scandalum tollendum aut prævenien-
dum dimittat; juri divino, naturali, humano minimè convenit. Quisque
enim orare debet, ne des mihi paupertatem *Proverb.* 30. v. 8. adhæc *quo*
pane vesci. 2 *Thessal.* 3. v. 12. & domui suæ prospicere. 1 *Timoth.* 3. 4. 5.
liberis suis *ἐκτρέφειν* curate, & thesaurizare *Ephes.* 6. v. 4. 1 *Tim.* 5. v. 8.

Huc

Huc advocari potest, ministros stipendia sua non dimittere propter acceptum scandalum Anabaptistarum, & aliquorum ignorantium aut infirmorum in nostris Ecclesiis. Denique non video, quomodo hinc non sequeretur fideles & pios omnes debere divitias suas abjicere; quibus inter pauperes non pauci scandalizantur. Ne quid dicam de scandalo totius sectæ inter Anabaptistas, dictæ *Huttericæ*; quæ tenet communionem bonorum. De peculiari facto. Pauli sine stipendio Corinthiis Euangelizantis 1 Cor. 9. alibi diximus 1. part. polit. eccles. lib. 4. tract. 3. Et quamvis lucrum illud in Ecclesiâ Corinthiacâ obventurum, propter insidias & cavillationes adversariorum tunc dimitteret Apostolus; non tamen aut semper & ubique aut etiam tunc dimisit omnia sua temporalia, quæ tum per laborem manuum Act. 20. v. 34. tum per tributa aliarum ecclesiarum 2 Cor. 11. v. 8. Phil. 4. v. 10.-18. acquirebat.

3. *Concl.* Bona nobis commissa sive sint ecclesiæ sive Reipublicæ, propter scandalum dimittenda, absolute negant Pontificii cum Thomâ art. cit. Quod sint deposita ex necessitate commissa. Sed quis dicet aut Reipubl. rectoribus, aut prælatis (quibus ex sensu Thomæ commissa) tanquam depositum, aut tanquam bona pupillorum, communia illa bona absolute, absque ullo necessitatis casu excepto, ita commissa esse, ut propter scandalum pusillorum (quasi scil. scandalum pusillorum Prælati multum curarent) non possint ea dimittere,tribuendo quæ habent, aut non repetendo, si apud alios sint? Cur non æque determinat per disjunctionem uti ibid. de bonis temporalibus, quorum nos sumus domini. *Si scandalum*, inquit, *oriatur propter ignorantiam vel infirmitatem aliorum*, &c. *tunc vel totaliter dimittendâ sunt temporalia*, (quod sane rigidum) *vel aliter scandalum est sedandum*, scil. *per aliquam admonitionem*: quod facile, saltem facilius prælatis, quam privatis hominibus. Adde quod tam absolute negat de bonis ecclesiæ, mox ibidem ad 5. non minus concedit, quam de bonis privatorum fidelium: *Et simili*, inquit, *ex causâ* (qualis erat Pauli 1 Cor. 9. v. 12.) *Ecclesia abstinet à decimis exigendis in terris, in quibus non est consuetum decimas solvere.*

VII. *Quest.* *Utrum scandalum passivum aut activum possit cadere in perfectos?* *Resp.* Movetur hæc quæstio apud Thomam artic. 5. &c. ad quam per absolutam negationem respondetur. Rationes adferuntur istæ. 1. *Quia* perfecti sive majores soli Deo inhærent, cujus immutabilis est bonitas. 2. *Quia* quantuncumque videant alios inordinate habere in dictis vel factis, à suâ rectitudine non recedunt. Quod probatur ex *Psal.* 125. *vers.* 1. 3. *Quia*, qui perfecte per amorem Deo inhærent, in illis scandalum non invenitur. Quod Prob. ex *Psal.* 119. *pax multa diligentibus legem tuam*, & in illis non est scandalum. Sed straminea hæc argu-

menta detegere, est refutare apud catechetica theologia mediocriter imbutos.

Sit ergo. 1. *Concl.* Nostra affirmans Thomistica opposita, peculiari probatione hic non munienda: sufficit huc advocare classes argumentorum pro quæst. 14. cateches. & imperfectione fidelium in hac vitâ.

2. *Concl.* nostra est aff. de scandalo activo. Thomas negat, sed cum dist. Ratio quam adfert, planè inepta est. *Ad perfectos*, inquit, *pertinet omnia que agunt, secundum regulam rationis ordinare, secundum illud 1 Cor. 14. v. ult.* Paulo post per prolepsin subjicit: *Et siquidem aliquid in moderatione desit, hoc provenit ex infirmitate humanâ, secundum quam à perfectione deficiunt: non tamen in tantum deficiunt, ut multum ab ordine rationis recedatur, sed modicum & leviter, &c.* Tandem ibid. ad 3. & ult. *Si qua in exterioribus dictis, vel factis venialia peccata committant, tam levia sunt, ut de se scandalizandi virtutem non habeant.* Non video quomodo hæc à contradictione & absurdo liberari possint. An ideo peccatum non erit peccatum; quia modicum est, aut quia ex ipsâ carnis infirmitate procedit? an modica fornicatio, modicum furtum, modica simonia, &c. non erunt formaliter talia peccata, quia non sunt magna. *Cajetanus in notis ad artic. 5. & 6.* vult adverti, scandalum activum propriè esse, quum quis tale aliquid, dicit vel facit, quod de se tale est, ut alterum natum sit inducere ad ruinam: quod quidem est solum id quod inordinatè fit, vel dicitur; Aut per id quod inordinatè fit aut dicitur, intelligit non solum secundum se malum, sed habens speciem mali: quoniam utrumque inordinatè fit, & est peccatum, ut patet in *artic. 2.* Rectè quidem: sed quomodo dici potest à Thomâ verbis modo cit. tam levia esse illa peccata, quæ vocat, *venialia*, ut de se scandalizandi virtutem non habeant? An hoc convenit cum Apostolo 1 *Corinth. 10. v. 28.* coll. cum *cap. 8. v. 7. 8. 12. 13.* ubi inordinatè edere & edendo speciem mali committere de se scandalizandi virtutem habere innuit.

VIII. *Quæst.* An scandala sint data, an vero accepta, quibus olim Gentiles, & hodie Pontificii alique errantes à veritate & professione religionis Christiane avertuntur? *Resp.*

1. *Concl.* Pleraque olim fuerunt accepta; eaque trium generum 1. *figmentis* & mendacibus criminationibus innixa, qualia ex. gr. de adoratione capitis asinini, de cœnâ Thyesteâ, de affectatione regni terreni, deque rebellionem ac seditionem contra Reges, Respublicas. 2. *Inmixta* liquidæ veritati & revelationi divinæ, ut de resurrectione mortuorum, de Christo Deo, de remissione & purgatione peccatorum per ipsius mortem ac passionem, de uno Deo patre filio Spiritu S. 3. *Inmixta* quibusdam malis, quæ fidei Chri.

Christianæ injustè imputabant: qualia imprimis erant tum dissidia, contentiones; turbæ exortæ occasione plantatæ, receptæ, propugnatae relig. Christ.: tum plagæ divinitus orbi immissæ post introductam religionem, ex. gr. hostium irruptiones, inundationes, incendia, fames, pestis, &c. Prioris generis mala per accidens improbitatis hominum fidei Christianæ sive concomitantia sive consequentia erant: per se itaque & justè hostibus veritatis imputanda, non vero ipsi veritati. Posterioris generis mala, uti nec absolutè nova ac insolita erant, sic contemptui & odio religionis, non ejusdem receptioni justissimè imputanda. De his & similibus acceptis scandalis, eorumque convictionibus, legendæ *apologia Athenagoræ, Justinii, Tertulliani, Minutii*; & *Augustini libri de civitate Dei*.

2. *Concl.* Aliqua tamen fuerunt data: inter quæ quatuor hæc in præsentii indico. 1. *Generis* erant Dissidia & contentiones in mediâ Christianâ Ecclesiâ circa fidei dogmata. De quibus consulendi *Irenæus de Valentini* & reliquorum hæresibus, *Tertullianus contra Marcionem*, *Epiphanius in panario*, *Augustinus de hæresibus*, idemque contra *Manicheos* & *Pelagianos*; præterea *Theodoretus, Harmenopolus, Nicetas*, alique de sectis alibi indicati. 2. *Generis* erant scismata, divisiones, & separationes, tum ecclesiarum tum ministrorum; qui aliis ejusdem fidei consortibus repudium pacis & fraternitatis mittebant. Scandalosum erat Victoris Romani repudium ecclesiis Asiæ intentatum, ob celebrationem paschæ. De quo *Eusebius lib. 5. histor. eccles. cap. 22. 23. 24.* edit. Lat. Celebre etiam fuit scisma Donatistarum: de quo Gesta collationis Carthaginensis à *Papyrio Massono* edita; Et breviculum ejusdem collationis, ab *Augustino*, aliaque ab eodem & ab *Oprato Milevitano contra Donatistas* conscripta. 3. *Generis* erant, degeneres & mali mores multorum Christianorum, qui gentes agendo sub nomine Christi, contra fidem vivendo, & Christum factis abnegando, fidem & ecclesiam coram Gentilibus prostitutebant. De quibus pii antiquitatis doctores sæpe & pluribus conquesti sunt: inter eos *Tertullianus, Chrysostomus, & Salvianus*; qui postremus in libris 8. de gubernatione Dei, & libris 4. contra avaritiam improbos Christianorum mores graviter incescit. 4. *Generis* erant nimix reliquiarum Ethnicismi in rebus externis tolerantix; imprimis & nimix rituum Gentilium concessiones, & ad cultum veri Dei adaptationes, eorundemque ex prudentiâ quâdam carnali affectationes; quibus Christianos magis Gentilizare, quam Gentiles christianizare docuerunt; & successores suos, quamvis hoc non intenderent, miserè impingere, & tandem corrui fecerunt in abominationem illam vastationis, quæ etiamnum hodie Papismum constituit.

3. *Concl.* Quod ad hodierna scandala, quæ tam multos à verâ religione

& ecclesia avertunt, ea maximam partem sunt purè accepta: quæ etiam ad classes easdem, uti supra, revocari possunt. Innituntur enim aut puris mendaciis & commentis; aut per fallacias accidentis, & calumniosas consequentias iniquè impactis sive heterodoxiis, sive aliis criminibus; inter quæ agmen ducunt, perturbata pax, rebellio, seditio, crimen læsæ majestatis, odium regiminis monarchici, imminuta si non supplantata autoritas publica, Respublica in Republicâ, ædificatio Imperii in Imperio, &c. Qualia à Remonstrantibus, Neutralibus, Semi-Libertinis, &c. rursus audias. Quibus abundè à *Sopingio*, *Triglandio*, *Lubberto*, *Riveto*, c. *Grotium*, aliisque in 1. part. polit. eccles. lib. 1. tract. 2. indicatis, responsum est. Quæ ex reformatâ doctrinâ & ecclesiâ à Pontificiis accipiuntur scandala, profligata vide in libro *Calvini de scandalis*, *Juelli apologiâ eccles. Anglicana*, &c. Sed unum inter alia est, quod editis libris extraneorum, aut apertis contestationibus nostrorum non ita petitur, à quo tamen tam multi, præsertim in Belgio nostro, scandalum accipiunt, *disciplina scil. ecclesiastica* quæ catechesi, qu. 83. 84. 85. & *confess. Belgicâ art. 28. 29. 30. 32.* nec non liturgiâ, & statutis ecclesiasticis præscripta est: de quâ agendum in 3. part. polit. eccles. lib. 4. Ex doctrinâ reformationum de omnimodâ Dei gratiâ eligente, convertente, conservante, deque justâ & efficaci providentiâ Dei in malo, sed non sine falso aut calumniosâ detorsione proposita, à Remonstrantibus, Pontificiis, aliisque peculiariter scandala accipiuntur: uti videre est in *Eduardi Poppii concionatoris*, cum viveret, Goudani concione ad *Math. 18. v. 17.* post obitum ipsius anno 1626. typis editâ in 4. Quomodo ejusmodi scandalis occurrendum sit, docui in 1. part. select. disp. tit. *Methodus respondendi excerptis & calumniis de Deo autore peccati*. In controversiis de ceremoniis quibusdam Anglicanis, subtiliter de scandalo disquisitum fuit. Vide *Mortonum de tribus innocentibus ceremoniis part. 1. cap. 5.* & *Amesii* scriptum in 4. c. *Mortoni* generalem ceremoniarum defensionem; Eiusdem replicam contra Doctorem *Burges*; & qui post illum scripsit, Anonymum (*Gillespie*) scriptorem libri, tit. *Anglo-Papisticæ ceremoniæ Ecclesiis Scoticis obtrusæ part. 2. cap. 8. & 9.* Ad plenam materiæ hujus de scandalis cognitionem conferri poterunt tractatus de *Adiaphoro*, de *libertate Christiana*, de *conscientiâ*.

157

DE OFFICIIS CARITATIS ERGA PROXIMUM
PECCANTEM.

P A R S P R I O R.

Resp. URBANO K. ERSEK-UYVARI Ungaro 6. Decembr. 1654.

Ad rectè explicanda officia caritatis circa proximum peccantem, præmittendæ. 1.
sunt distinctiones peccatorum, peccantium, & actuum circa peccata aliena.

1. Peccata sunt vel nostra vel aliena. Actus circa propria nostra peccata sunt vel præcedentes, vel subsequentes. Illi sunt odium, fuga, oppugnatio: & huc pertinent diagnostica, prophylactica, antidota peccatorum: de quibus alibi agendum. Exstant præctici tractatus tit. Summa seu Destructorii vitiorum, auctore Alexandro Anglo seu Alexandro Ales; aurei operis contritionis, autore Vivialdo; Summa virtutum & vitiorum, Gul. Parisiensis; Summa virtutum & vitiorum Gul. Peraldi; Præservativorum peccati, autore Nathanaële Coole, sed Anglicè tantum (quod sciam); Medicina spiritualis, autore Johanne Abrenethii, sed Anglicè & Belgicè; Medici spiritualis, autore Carolo Stribanio; Panarii autore Busæo; Emendationis vite, autore Joh. Tassino, sed Gallicè & Belgicè. Huc referri possunt scriptores de temptationibus in Ascet. indicati. Isti sunt actus resipiscentie, de quibus in Asceticâ nostrâ, seu Exercitiis pietatis: ubi varii auctores indicantur. Peccata proximi de quibus hic propriè agendum varie per objecta & gradus distingui possunt. Posteriores distinctiones huc propriè pertinent. Quas mox indicabimus.

2. Peccantes (ἁμαρτωλοί) sunt triplices, insanabiles, difficillimè sanabiles, & sanabiles.

1. Insanabiles sunt peccantes in Spir. S.

2. Ægrè ac difficillimè sanabiles sunt indurati; quales Judæi Rom. 11. & Gentiles illi qui in reprobum sensum traditi Rom. 1. v. 24. ἀνάνηδες Eph.

4. v. 19. & Pseudo-Christiani illi qui ἠναισθημένοι τῷ συνείδητι 1 Tim. 4. vers. 3.

3. Sanabiles sunt, aut remotius, ut infideles, & homines carnales partim aperti peccatores, partim hypocrite: aut propinquius, ut fideles & conversi, sed infantes, infirmi & magnam partem adhuc carnales: aut proximè, ut pii & fideles illi, qui vari & perfecti phrasi Scripturæ dicuntur.

Actus circa peccata aliena, ad tres generales istos revocari possunt.

1. Cooperationem qualemcumque sive directam, sive indirectam: quæ semper culpabilis, & reum facit cooperantem peccati participati. Quot autem modis alieni peccati quis particeps fieri possit, infra explicatur.

2. *Resistentiam, seu legitimam oppugnationem.*
3. *Usum peccati pure permissi aut tolerati, tolerantia scil. innoxia. His praecognitis, omnes actus, partes & officia caritatis circa proximum peccantem distinctè & methodicè sic delineamus.*

S.2.



Officia illa versantur.

1. *Vel circa peccatum antequam fiat tam internum quam externum.*
2. *Vel circa peccatum in fieri, seu circa initium ejus externum; cum quis vacillat in tentatione aut labascit.*
3. *Vel circa peccatum in facto esse seu circa externum jam consummatum: quod propriè πᾶσις, lapsus aut scandalum, aut etiam delictum, seu crimen, quin & facinus seu scelus dicitur. De lapsu Galat. 6. v. 1. 2. ejusque exemplum habes in Petro Matth. 26. Scandali in eodem Galat. 2. & in iis, qui vescebantur idolothytis, & accumbebant in idoleio 1 Cor. 8. & 10. criminis & delicti in Davide 2 Sam. 12. sceleris in Absolomo, Ammone, Judâ proditore, &c. Aliter peccata proximi dividuntur, in ignorantia aut contra conscientiam; in infirmitatis aut malitiae, & praesumptionis; in peccata erga Deum, aut alios homines; aut nos ipsos. Rursum in peccata simplicia aut eadem saepius repetita, aut consuetata, & ex pravo habitu. Sed his missis specialia officia delineemus. Primæ classis officia nomine praeventiois, & secundæ classis nomine impeditiois seu resistentiae complectimur: quibus opponuntur negligentia seu ἀγγία, & promotio peccati, & cum peccante cooperatio.*

Præventio est actus caritatis, quo peccatum proximi studiosè avertimus.

Media seu actus speciales sunt.

1. *Preces.*
2. *Instructio verbalis*
3. *Factum reale: idque vel objectivè, vel subtractivè operando.*

Preces sunt vel generales abstracte à singularibus personis & specialibus peccatis 1 Thesal. 5. vel speciales pro singulari personâ, aut contra speciale peccatum.

Problemata hic sunt.

1. *Probl. An universaliter pro omnibus hominibus in terrâ viventibus, orandum sit sive absolute, sive sub conditione, ut nemo in posterum peccet? Resp. Neg. Talis enim precatio repugnaret fidei, quam ex verbo Dei tenemus, semper fore peccatores, & Christum dominaturum in medio inimicorum,*

micorum, & diabolus fore principem hujus mundi usque ad postremum Christi adventum.

2. *Probl. An pro omnibus electis & fidelibus collectim sumtis hoc orandum?* *Resp. Neg.* Quia eadem fide certi sumus Electos multos esse nondum actualiter conversos, & actualiter conversos semper habituros in se carnem repugnantem spiritui, & τὸ ἐν μέσσοις Rom. 7. v. 23. cum Galat. 5. v. 17. & 1 Cor. 13. v. 10.

3. *Probl. An orandum sit sigillatim pro unoquoque proximo nostro sive converso, sive non converso, ut per gratiam Dei preservari & immunis possit esse ab hoc aut illo speciali peccato.* *Resp. Aff.* Non tamen absolute, sed sub conditione sive expressâ sive subintellectâ: si scilicet Deus ita voluerit, & nomini ipsius futurum sit gloriosum. 2 Tim. 2. v. ult. Ad trium istorum problematum solutionem, conducent commentationes Scriptorum Catecheticorum, aliorumque interpretum (inter quos memini lectum & probatum mihi olim Perkinsum) ad 3. & 6. petitionem orationis dominicæ.

Instructio verbalis, est vel autoritativa vel simpliciter caritativa; rursum §. 3. vel publica vel privata; & vel Oeconomica, vel Ecclesiastica, vel Politica. Speciales actus & modi instructionis sunt, dehortationes, obtestationes, adjurationes, confederationes, leges & sanctiones.

1. *Dehortationes* & *adhortationes*: eæque tum generales, abstractè à specialibus peccatis, & à diversis hominum statibus ac conditionibus Rom. 12. 1 Petr. 2. tum speciales, respectu specialium peccatorum contra quævis decalogi præcepta; aut respectu specialium statuum e. gr. parentum, senum aut juvenum, maritorum & uxorum, &c. Aliquos paræneticos tractatus singulis statibus appropriatos, qui quidem mihi innotuerunt aut tunc occurrebant, in exercitiis pietatis cap. ult. indicavi.

2. *Obtestationes* & *adjurationes*, quæ sublimioris gradus dehortationes sunt, occurrunt in Scripturâ, præsertim in epistolis Pauli ad Timotheum. Et huc referendæ solennes abrenuntiationes & ejurationes, nec non confederationes contra peccata, tum in genere tum in specie 2 Paralip. 15. Ezra 8. Nehem. 9. & 10. & 13. Memoranda hic antiquæ Ecclesiæ formula adultis baptizandis proponi solito, *Abrenuntio Satana cum omnibus pompis, spectaculis & operibus*. De quâ videatur Salvianus de gubernatione Dei lib. 6. alique patres citati à Rittershusio in commentar. ad loc. cit. Scriptores de ritibus baptismi, inter quos Ambrosius Vicecomes, qui l. 2. cap. 16. 22. prolixissimè explicationem hujus ritus persequitur.

3. *Consilia* sunt, quæ pro causâ virtutis contra peccata, (imprimis titulo liciti & adiaphori aut dubii fucata & obrepentia) suggeruntur. De Consiliis Theologicis agimus lib. 2. Polit. Ecclesiast. tract. 3.

4. *Leges & sanctiones sunt vel Ecclesiasticæ, vel civiles. Illæ videndæ in Canonibus conciliorum apud Photium in Nomocanone, Bartholomeum Caranzam, Christophorum Justellum in Canonibus Ecclesiæ universæ, & Ecclesiæ Africanæ, Laurent. Bochellum in decretis Ecclesiæ Gallicanæ, Wendelstinum seu Cochleum in Codice Canonum Ecclesiæ Romanæ. Nostrarum Synodorum post introductam reformationem decreta discenda, ex repertoriis in quâque natione aut Provinciâ confectis. Istæ occurrunt partim in corpore juris, partim in constitutionibus imperialibus à Goldasto editis, nec non legibus cujusque gentis particularibus.*

- §. 4. Facta realia sunt quæ aut objective tantum & per modum propositionis seu motivi; aut efficaciter per modum directæ agentis operantur. Illa sunt imitanda exempla eorum, qui peccata oderunt, fugiunt, prævertunt, & longissimè ab iis recedunt. Inter quæ excellunt heroica quorundam facta, ut e. gr. Abrahami contra avaritiam *Genes. 14.* Josephi contra luxuriam *Genes. 39.* Pauli contra timiditatem *Act. 21.* Aliorumque martyrum, quæ in martyrologiis & vitarum Scriptoribus passim annotantur. Sed de exemplo bono, ejusque opposito scandalo, vide *dis. proximè præced.*

Istæ sunt reales ablationes potestatis, aut potentiæ, & mediorum atque occasionum, quibus proximus ad peccandum abuti posset. Huc reduci debent, non-collationes potestatis, aut potentiæ, & mediorum, quæ proximo alioquin, extra hunc casum, conferri possent, aut deberent. Sed quia varii casus hic incidunt, & frequentissimè prætextu mali præveniendi malum committitur, problematis aliquot in hanc rem penitus inquiremus.

I. *Probl. An ob præsumtum & metuendum peccatum, speciatim injuriam à proximo nobis aut publico inferendam, eum vitâ privare liceat? Resp. Neg. Idque juxta regulas, Tam diu quis præsumitur bonus, quamdiu non probatur malus. Et, non sunt facienda mala, ut eveniant bona, aut ut avertantur mala. Duo sunt quæ hic prætexi possunt,*

1. *Vulgatum illud: præstat prævenire quam præveniri. Sed dictum illud multam admittit limitationem: non minus quam ista: vim vi repellere licet. Et caritas incipit à seipso. Et, proximus sum egomet mihi. Et, unumquodque studet conservare seipsum. Regula enim una immota est, ad quam omnia dicta axiomata sive juris sive moris exigenda sunt: Omnes scil. actiones humanas in genere moris, seu moraliter consideratas necessarium respectum habere ad summam & primam rectam rationem, quæ est in Deo; quam scil. in legem suam derivavit, & cui nostram rectam rationem ac conscientiam subjecit. Jam verò vitâ hominis innocentis, propter potentiam peccandi, & præsumptionem ac metum tuum ut ut minime vanum, nullius hominis potestati sub-*
jecta

jecta est, nedum ut per modum poenæ culpam & crimen antecedentis auferri possit. Sic e. gr. non licet vitam comitis in itinere auferre, quod probabiliter metuamus, vitam nobis per illum auferendam.

2. *Bonum publicum* atque universale, quod prævalet omni bono particulari; & consequenter etiam vitæ innocentis, nunc quidem non inferentis injuriam, sed qui validè præsumitur jam aut datâ quâcunque occasione illaturus. Sed nulla intentio aut prætextus boni publici, nulla præsumta mali averruncatio, nullus quamvis justus metus, jus divinum violare potest, aut ex peccato facere non peccatum. Scimus historias scaterere contrariis consiliis & exemplis, quibus regnandi causâ jus divinum hâc in parte violatum fuit. Ejusdem commatis fuit occisio masculorum per Pharaonem, & infantium Bethlemicorum per Herodem.

II. *Probl. An quis corpus suum mutilare, ledere, deformare, aut stoliditatem simulare possit, ut sic proximi peccatum luxuria, quod probabiliter metuendum, avertat & præveniat. Resp. Neg.* Et merito ad facta ignorantie rejiciendum illud fœminæ Christianæ, quæ oculos sibi eruebat, ut tyranni intentatam libidinem & violationem averteret. Licet exemplo Josephi fugâ formam suam oculis luxuriosis subducere, absque læsione corporis aut elegantis formæ. Nemo enim propriam carnem odio habet *Eph. 5.* Confer huc, quæ de castratione *Matth. 19.* & de abscissione dextræ, &c. *Matth. 18.* observant commentatores, & quæ infra dicimus in disp. de homicidio sui ipsius & flagellatione spontanea.

III. *Probl. An in presunto metu conspirationis, rebellionis, seditionis, per duellionis, suspectæ personæ ex urbe aut regno pro tunc (ita loquar) ob instantem periculi necessitatem, dimitti, aut etiam custodiæ honestiori ac liberiori committi possint? Resp. Aff.* Siquidem id fiat per eos, penes quos est publica potestas; idque solum intuitu boni publici, absque privatâ vindictâ, invidia, avaritia.

IV. *Probl. An bona patrimonialia, aut munera publica, unde unctius caput referri solet, aut libertates, aut privilegia, aut dignitates, aut abundantia negotiationis, aliaque media quibus divitiæ acquiruntur, alicui subtrahenda sint; quem judicamus rebus prosperis insolentem & in peccata, præsertim luxus, contumelia & cujuscunque injuriæ nimis lubricum fore. Resp.*

1. *Concl.* Justè possidentes directè & per se sive per nos sive per alios in totum aut ex parte privari non debent. Quia directè repugnat juri & justitiæ. Et hoc non tantum privatis hominibus, sed & publica potestate armatis applicatum volumus: quidquid sit, de Pseudo-politicæ arcanis (uti vocant) & manifestaria atque ubique ferè (proh dolor!) recepta praxi. Conferantur Scriptores Politici, præsertim Anti-Machiavellici, alibi indicati.

2. *Concl.* Ad præventendam injuriam aliaque peccata justè metuenda, possunt parentes liberis, Domini servis, Magistratus suis subditis, non conferre talia aut tanta, quæ in ipsorum potestate sunt, & quorum abusus ad peccata, seu delicta tum privata tum publica fore, prudenter præsumunt.

3. *Concl.* Salva manente possessione, christi bonorum quibus ad peccata quis abuteretur, per Magistratum circumscribi potest. Et huc pertinent leges civiles de prodigis, & cura eorum. Vide *syntagma Tholosani lib.*

13. c. 7. & lib. 44. c. 3. §. 10.

4. *Concl.* Potest quis privatus directè sua justè & opportune agere, & Magistratus omnibus honestis mediis Reipublicæ & subditorum negotiationem, potentiam, potestatem promovere; quamvis videar incrementum hoc non fore sine aliorum decremento, & ortum hunc fore aliorum interitum: modo hoc non intendat, nec damnum proximi aut aliene Reipubl. procuret, aut tale quid agentibus cooperetur. Excipe tamen casum inculpate tutelæ & justì belli: de quibus ad 6. & 9. præceptum. Extra hos casus, quidquid damni nobis nostra inculpate agentibus proximo obtingat, id totum est per accidens: atqui propter consequentiam per accidens, non sunt omittenda officia per se debita. Alioquin non fuisset procuranda vocatio gentium, quod secum traheret rejectionem Judæorum. Vide Rom. 11. Nec infideles ad fidem, peccatores promiscuè ad emendationem & virtutem ex verbo Dei opportunè importune invitandi essent; quod talis prædicatio sæpè comitem habeat obfirmationem in malo, & consequenter odorem mortis ad mortem.

§. 5. *Impeditio* peccati complectitur officia caritatis circa proximum peccaturientem, aut labascentem, aut in tentatione & dubitatione constitutum. Est autem impedimentum talis vel purè *caritativa*, fidelis scil. cujusque circa proximum: vel *autoritativa*, superioris scil. circa inferiorem; eaque aut domestica, maritalis scil., patria, herilis; aut scholastica; aut collegialis; aut Politica, aut Ecclesiastica. Media seu actus impeditiois sunt quatuor.

1. *Potentia* & potestatis ablatio, aut imminutio, aut impositio. Ad quorum explicationem, applicanda, quæ supra *thesi* 3. de mediis præveniendi peccatum dicta sunt.

2. *Confirmatio* seu erectio contra tentationem & dubitationem.

Tentationi resistitur tum argumentorum suggestionem, tum occasionum & mediolorum objectionem atque adhibitionem, quibus peccatum conceptum aut suggestum aut injectum ante consummationem avertatur, aut in herba opprimatur.

Dubitatio occurritur, quando errantis aut in errorem inclinantis conscientia melius instruitur & informatur; & fluctuans conscientia salubri consilio fulcitur.

3. *Directio* seu ordinario: quæ est peccati inchoati aut concepti directio vel in objectum, vel in finem. In objectum dirigitur, cum conceptum avertitur directè ab hoc objecto; ad quod sequitur ut in aliud objectum tendat, quò tamen ex caritatis nostræ intentione aut directà aliquâ operatione non dirigitur aut promovetur: ita ut nuda tolerantia nostra hic interveniat.

4. *Determinatio* est, quâ tolerantia nostræ seu permissioni modus ponitur, & peccato ad fores excubanti, aut concepto, aut etiam externè inchoato terminus ponitur; ne ulterius pergat & ad consummationem perveniat. Sed de tolerantia mox plenius agendum. Porro impeditio peccati ut & præventio pro ratione objecti dividi potest in eamquæ versatur circa proximi ignorantiam facti & peccatum inde consequens: & in eam, quæ versatur circa ignorantiam juris; eamque tum puræ negationis, seu simplicem (sed nihilominus privativam seu culpabilem) tum pravæ dispositionis. Breviter prævenitur & impeditur proximi peccatum vel erga Deum, vel erga proximum: vel in fide vel in moribus seu observantiâ. De specificis mediis præveniendi, impediendi, & minuendi infidelitatem, apostasiam, errores, sectas, tum privatis tum publicis, Ecclesiasticis & Politicis, ex professo agitur in Politia Ecclesiastica: hic itaque explicare ea superse- demus.

Repugnant officiis caritatis, quibus prævenitur aut impeditur peccatum S.6. tum; minus securitas, ἀσφαλεία seu ἀγρία, & negligentia circa peccata proximi; magis tolerantia culpabilis; maxime cooperatio.

1. *Securitas* & ἀσφαλεία, est quando ignorantia affectatâ peccatum proximi ignoramus; aut si attendamus, ad debitum opus præventionis aut impeditionis nos non accingimus; aut si quid movere incipiamus, non promovemus. Quæ singula exemplis nunc non illustramus, ut brevitati studeamus.

2. *Tolerantia* (cujus synonyma, permissio, indulgentia, conniventia) respicit vel peccatum, vel peccatorem. De priori hic propriè agitur, de posteriori infra, ubi de officiis caritatis post peccatum jam consummatum. Distinguitur permissio in approbativam & tolerativam. *Illa* nunquam circa peccatum quodcunque licita est. *Ista* aliquando licita, aliquando illicita. Hinc distinctio tolerantia in licitam, & illicitam: de illâ an sit & quæ sit infra disquiremus; de ista hic, quippe quæ sola officiis caritatis repugnet. Utraque est vel privata, vel publica: hæc vel Ecclesiastica vel Politica.

Utraque rursum vel *facti*, vel *juris*. *Facti*, est vel *transiens* in hoc aut illo temporis & necessitatis articulo tantum: vel *permanens* & consueta. *Juris*, est quæ lege aut conventionem aliqua, aut transactione, aut decreto quocunque stabilita est, e.gr. permissio polygamie in Republica Mosaica; quæ permissio inculpabilis. Permissio concubinatus in Jure Canonico, & in Jure Civili Romano: quamvis de Jure Civili nonnulli in dubium trahant. De utriusque juris permissione, an licita sit, alibi *part. 1. Politica Eccles. lib. 3. tract. 1. queritur.*

3. *Cooperatio* cum peccato alterius, & consequenter participatio illius peccati, est vel *accessoria*, vel *occasionalis*.

Accessoria est, cum peccans consensu & cooperatione nostra in peccato juvatur & promovetur. Fit autem hoc vel ante inchoatum aut commissum peccatum, vel post. *Illic* fit mandato 2 *Sam. 12. v. 9.* consilio *Matth. 27. v. 20.* coll. cum *Act. 3. v. 14.* incitatione *Genes. 3. v. 6.* coll. cum 1 *Timoth. 2. v. 14.* *Istic* fit vel subsequente consensu, vel defensione, vel nimia conniventia.

Consensus est, quo consentimus peccato ab aliis concepto & intentato; 1 *Reg. 21.* ubi de Achabo probante aut acceptante nefarium scelus uxoris.

Defensio est cum sub specie juris, verbis aut factis, alienum peccatum laudamus, aut coloramus, ut Terullus *Act. 24.* aut violenter & manu armata defendimus, ut Benjamitæ *Jud. 20.*

Conniventia seu indulgentia est, cum non reprehendimus, aut non satis reprehendimus & castigamus; aut etiam blanditiis, adulationibus aut dolosis & æquivocis verbis, aut subtiliter quæsitis distinctionibus & exceptionibus, sive in totum sive in tantum excusamus.

Occasionalis participatio est vel privata, vel positiva. *Ille* est quando non impedimus aut coercemus peccatum. (Huc refer Exemplum Eli 1 *Sam. 2.*) & hæc concidit cum culpabili tolerantia. *Ista* est, cum exemplo nostro alii seducuntur, ut *Galat. 2.* in facto Petri: aut cum relinquimus alteri opportunitatem peccandi: aut cum imitamur aliorum peccata, eaque continuamus, atque iis insistimus. Sic participes fiebant Judæi peccatorum à majoribus commissorum, quia mensuram eorum implebant. *Matth. 23. v. 31. 32. 35.* Ut super vos veniat sanguis, &c. Scholastici & Casuistæ Pontificii peccati participationem seu peccatum participatum, ad novem modos revocatum in questione de simonia istis versiculis comprehendunt.

Jussio, consilium, consensus, palpo, recursus,

Participans, nutans, non obstand, non manifestans.

Hæc & similia circa specialia peccata e. gr. furti, homicidii, calumniæ, superstitionis, idololatriæ (de cujus participatione *part. 3. select. disp. tit. de Idolo.*

Idolatriâ, &c.) observata, ad generales modos traduci possunt. Confer Amesum lib. 5. Casuum cap. 10. cum lib. 2. Medulla cap. 16. §. 44 45.

Problemata circa tolerantiam, & participationem alieni peccati sunt. §. 7.

1. Probl. An & quomodo peccati Achan (Josue 7.) particeps fuerit totus Israël. An per positivam cooperationem? an vero per puram tolerantiam? an aliquâ aliâ ratione? Resp. Non video ex participatione plagæ toti populo immixtæ propter illud peccatum participationem peccati necessario concludi debere. Certè Deus liber Dominus, hominibus peccatoribus (quales sunt omnes si non actuali, saltem originali peccato): temporales plagas ad gloriæ suæ manifestationem, impiorum terrorem, cautelam & emendationem piorum, immittere potest; quamvis iidem illi, quibus immittitur, cum peccato illo directè aut indirectè communionem non habuerint, nec per ignorantiam invincibilem aut carentiam potestatis illud prævertere aut impedire, aut vindicare potuerint aut debuerint. Hæc tamen cum distinctione cadunt temporales illæ plagæ, ut impiis nihil sint nisi vindictæ, & pœna formaliter sic dicta, piis vero & electis sint exploratio, aut paterna castigatio, aut prophylacticum. Huc analogicè applica illud Christi Joh. 9. Neque hic peccavit, nec parentes ejus, &c.

2. Probl. Quid statuendum de supplicio, quo septem illi ex familiâ Saulis affecti sunt (2 Sam. 21.) propter peccatum, cujus illi omnes aut saltem aliqui eorum nullo modo particeps videbantur. Resp. Idem quod de plagis Israël propter factum Achani immixtis. Et sic in genere judicandum de omnibus plagis & afflictionibus quæ immittuntur sive posteris sive presentibus cum peccatore aliquo propriorem quam communionem personalem habentibus, quamvis cum peccato illius nullam communionem habeant.

3. Probl. An omnis tolerantia alieni peccati inducat ejusdem communionem seu participationem. Resp. Aff. Ex 1 Cor. 5. v. 2. 7. 13. Apocal. 2. v. 20. coll. cum v. 2. Exceptis duobus casibus: quorum unus est, cum non est potestas & potentia, illud præveniendi, aut impediendi, aut emendandi. Alter est: cum publicè aut privatim malum aliquod toleratur, ut majus malum aliquoquin eventurum impediatur & præveniatur; aut magnum & necessarium bonum obtineatur. Sic tolerantia polygamie, divortii, aliorumque malorum in Republicâ Israëlita, immediate jure divino sancita fuit. Iisdem sub distinctionibus determinantur quæstiones de tolerantia idolatriæ, hæresis, erroris, scismatis, mordentis usuræ, de libertate prophetandi, de Moderatione & tolerantia, de syncretismo. Neque his in casibus objici potest illud axioma. Non sunt facienda mala, ut eveniant bona. Quia qui simpliciter aliquid tolerat, quod tolli non potest, ille non facit. Nec us-

quam in Scriptura comparat hoc axioma: *Nunquam sunt toleranda mala, ut eveniant bona.*

4. *Probl. An positiva leges, aut decreta circa peccatum alienum, inducant participationem, e. gr. leges Mosaica circa divortium, polygamiam, & liberos ex ea procreatos, item circa stuprationem virginis ex hostibus captiva. Et leges seu decreta Politia alicujus circa mordenis usura executionem, aut circa resignationem & emptionem prabendarum Ecclesiasticarum, & titularium dignitatum, canonicatum, vicariatuum, si qui inter Protestantes & Reformatos alicubi supersunt; & quidem sub Papistica hierarchia & abusivis atque ementitiis titulis, sine re, aut opere, aut officio, sive eodem, aut equivalente, sive analogo, aut meliori, & defacato: ut scil. aliquâ juris humani specie in prædecessorum suorum Papisticorum jura & bona commendata succedere, iisque bonâ conscientia uti frui viderentur. Resp. Neg. Siquidem leges tantum limitent & determinent illud malum necessarium; atque in objectum & finem dirigant: Non vero illud præscribant aut probent, aut promoveant. Hæc tamen conditio præsupponenda, si nec potestas nec potentia adsit abusus & corruptelas illas tanquam mala bene, ut dici solet, posita loco movendi; aut publicum ac necessarium bonum aliter obtineri non possit. Et tales inculpabiles tolerantia non ponunt peccantis immunitatem, & peccati ipsius licentiam; sed tantum immunitatem à pœna in foro soli infligendâ.*

5. *Probl. An ex tolerantia publicâ, sive Ecclesiasticâ, sive Politicâ, & licitum & honestum mali tolerati concludi possit? Resp. Minimè: siquidem de tolerantia in thesi & de jure quæritur. De facto & intentione horum aut illorum in hypothesi hic non agimus. Fieri enim potest ut aliqui tolerantes mala in Republicâ aut Ecclesiâ, ea tacite approbent, & promoveant, atque adeo illis cooperentur, & per ea privatis suis studiis & intentionibus subserviant; adhuc necessitatem eorum invincibilem prætexant, quæ tamen revera non sit. De his quamdiu detecta non sunt, possumus pro tempore imitari. Porro de tolerantia peccati aut potius peccantium in Ecclesia, alibi data occasione diximus, in tract. de Fraternitatibus Marianis. Ubi adduximus exemplum Ecclesiæ Apostolicæ, quæ initio tolerabat divortio aut polygamia in Gentilismo aut Judaismo implicitos, à quo nondum se expederant. Vide Bezam de divortiis, & notas nostrorum ad 1. *Timoth. 3. v. 2. & part. 1. Polit. Eccles. lib. 3. tract. 1.**

6. *Probl. An consuetudo conniventia ad aliquod malum in perpetuam & lege stabilitam tolerantiam mutari debeat? Resp. Neg. Idque secundum regulam de omni fermento veteri expurgando; & de perficiendis ac corrigendis iis, quæ defunt; & de contentione ad perfectionem.*

7. *An consuetudine, aut lege aut decreto recepta tolerantia sive Politica, sive*

DE OFFICIIS CARITATIS ERGA, &c.

167

sive Ecclesiastica, pios praesertim ministros obliget ad perpetuum silentium; ne scil. unquam aut privatim aut publice sive ultro sive rogati conscientiam proximi de malo illo informant, eosque ab ipso, si fieri possit, avertant. Resp. Neg.

8. *Probl. An quaecunque objecta occasio peccandi inducat participationem. Resp. De occasione activa aut perse. Aff. De passiva aut per accidens. Neg. Alioquin forma, divitiæ, ingenium, eruditio, immo quævis ut ut optime dicta & facta, denique vera fides & religio essent abjicienda, tanquam mala aut occasiones mali; quia aliqui ad libidinem, avaritiam, injustitiam, invidiam, blasphemiam aut aliquod aliud peccatum se concitant. Sic Christus fuit Petra scandali, & in ruinam multorum 1 Petr. 2. Luc. 2.*

DE OFFICIIS CARITATIS ERGA PROXIMUM PECCANTEM.

P A R S A L T E R A.

Resp. URBANO K. ERSEK-UYVARI Ungaro 13. Decembr. 1654.



Actenus de actibus & officiis Caritatis ad peccati præ-§.8. ventionem & impeditionem spectantibus: restant ea, quæ post peccatum consummatum adhibentur: quæ revocari possunt ad actus caritatis quod ad nos ipsos: quos posteriores nomine *usuum* peccati alieni notabimus.

Actus priores sunt vel interiores seu magis interiores, vel exteriores.

Interiores pertinent vel ad cognitionem vel ad affectum.

Isti sunt 1. Dolor.

2. Ira seu indignatio, & odium.

3. Zelus.

4. Desiderium & preces pro peccati expugnatione & peccantis conversione.

5. Gaudium & gratiarum actio, pro expugnatione, & peccantis conversione.

Exteriores ad hos ttes generales reducuntur.

1. Oppugnationem.

2. Tolerantiam.

3. Remissionem.

De quibus, eorumque subordinatis specibus, aut modis, aut partibus nunc ordine dicendum.

Cogni-

Cognitio peccati alieni est vel communis, vel specialis ex speciali munere, mandato, atque obligatione nobis imposita. *Illa* educitur ex textibus *Rom. 15. v. 14. Galat. 6. v. 1. 2. 1 Thessal. 5. v. 14. Jac. 5. v. 19. 20. Judas. 22. 23.* aliisque, qui aliquod caritatis officium circa peccantem communiter omnibus præscribunt. Atqui nullum est istorum officiorum, quod non præsupponat cognitionem. *Ista* est superiorum in Oeconomia, Politia, Ecclesia. Qui subditis suis attendere debent, & in eorum defectus inquirere, ut tempestivè remedia adhibeant. Probatio hujus ex descriptione officii superiorum, maritorum scil. Parentum, Tutorum, Præceptorum, Dominorum, Magistratum, Pastorum peti potest. Quod ad Pastores, de iis Apostolus *Actor. 20. v. 28. 29.* Idemque in *1 Cor. 1. v. 11. 12. & 5. v. 1. Galat. 1. v. 6.* exemplo suo docuit omnes animarum curatores, quam sollicitè statum Ecclesiæ suæ & fidelis cujusque explorare teneantur, & omnia circumspicere, ne errores, hæreses, aliaque peccata tandem Ecclesiam pessundent.

Cognitionis partes sunt *apprehensio* seu perceptio, & *judicium*. Ad perceptionem pertinent.

1. Aliorum *relatio* & *delatio*.

2. Propria nostra *observatio* per visum & auditum.

3. Sublequens *exploratio*, seu informatio, scrutatio, investigatio, inquisitio, circa *quid* an sit, & quale ac quantum sit.

De peculiari inquisitione & informatione judicum circa delicta tractant JCC. unde nonnulla ad quamvis explorationem seu informationem analogicè aptari possunt.

Judicium est, quo statuitur, quid circa peccatum proximi jam faciendum aut non faciendum sit. *Judicio* huic inservit *consultatio* seu deliberatio, *tum* solitaria & nostra, *tum* socia, & cum aliis. Huc refer consilia sapientum, quæ in hoc aliisque in casibus peti, & admitti solent. Sed responsione ad aliquot problemata ulterius materiam hanc illustremus.

I. *Probl. An cujusvis sit in quorumvis peccata serio inquirere, inque eum finem relationes & delationes aliorum expetere, procurare, avide audire.* Resp. Neg. Nisi istis in casibus: Si nobis non affectantibus peccata in aures & oculos nostros se ingerant; non est refugienda eorum cognitio ad nostrum, proximi, & publicum bonum. Quod nam autem bonum nostrum, & publicum hinc elici possit, infra patebit, ubi de Usibus peccati alieni. Bonum proximi peccantis hic intendendum in sequentibus explicabitur. *Sed ad formalem & ex professo susceptam explorationem, atque expiscationem privatus quisque non tenetur; nisi peccans naturalis, aut civilis, aut spiritualis necessitudinis vinculo ipsi propior & conjunctior sit.* Et tali in casu sequentes conditiones observandæ sunt.

1. Ut fiat ex conscientia pura, & caritate *ἀνυποκρίτως*.
 2. Ad Dei gloriam, proximi salutem, Ecclesiæ ædificationem, & bonum Reipublicæ.

3. Ne hoc præcipue agat, saltem non ita, ut multa & multos explorando seipsum & sua negligat. Caritas enim incipit à seipso: & quisque secum habitare debet: & ipse primum conversus, fratres confirmare. Huic innocuæ & sanctæ explorationi repugnant curiositas, *ἀλλοτριότης*, vanum rerum novarum studium; quarum relatio materiam otiosis colloquiis & garritis, & libellis tum famosis tum satyricis suppetit: tantum aut saltem præcipue ad proximi obrectationem, detractionem, calumniam, ignominiam, adhæc rixam, contentionem, scisma, &c. De quibus vitiis ad 6. & 9. præceptum: de curiositate, & *ἀλλοτριότης* ad 8. præceptum, & apud commentatores ad *Johann. 21. v. 22.* & *Petr. 4. v. 15.* & *Tim. 5. v. 13.*

II. *Probl. An potestate & superioritate instructi e. gr. parentes, antecessores Ecclesiæ, Magistratus, teneantur in peccata suorum inquirere. Resp. Aff.* De Ecclesiæ inspectoribus fidem facit descriptio muneris pastoralis: illi enim invigilare debent, & contra hæreses ac peccata tempestive oves suas mone-
re Ezech. 3. Hebr. 13. v. 17. correctiones fraternas & paternas adhibere, censuris Ecclesiasticis præesse. Et in hunc finem vigent in Ecclesiis visitationes ordinariæ & extraordinariæ (de quibus in Politicâ Ecclesiasticâ part. 3.) adhæc scrutinia illa, quæ vulgò *censuram morum* vocamus, in conventibus nostris consistorialibus, classicis, & synodicis recepta. Quin & Apostolus Paulus honestis delationibus, tanquam mediis ad cognitionem utilibus subinde usus est. & *Cor. 1. v. 11.* Hæ tamen conditiones servandæ.

1. Ut ministri & seniores hoc agant, eo animo & intentione, quæ deceant patres spirituales.

2. Ut prudentiam in recipienda delatione (de qua *Matth. 18. v. 17'*) adhibeant.

3. Imprimis etiam in scrutinio: ne intempestive & imprudenter in aliorum lapsus inquirendo, nisi turpiter labantur, lapsis aut aliis majorum lapsum, rixarum, scismatum, contentionum causa sint.

4. Ut primum & assiduo attendant, ad lapsus & defectus suorum: hoc enim opus ipsorum. Deinde ad defectus in Ecclesiis propiori vinculo classicæ & synodalis correspondentiæ propius conjunctis. Ad Ecclesias & Politias alienas, earumque arcana (quorum theoreticam aliquam cognitionem adepti sunt), nunquam curiositas eorum huc usque exspatiatur, ut ex paterno *ἔργον* faciant, aut præter suam Ecclesiasticam in hoc subjecto exercent, aut per *πολυπραγμοσύνην* & *ἀλλοτριότης* se intrudant in ea, ad

quæ vocati non sunt: atque ita negligent studium in assiduâ lectione trium librorum, scil. Scripturæ, propriæ conscientiæ, & propriæ Ecclesiæ. Casum hunc excipio, cum ab alienâ Ecclesiâ aut ministro casus alicujus decisio & consilium Theologicum postulatur. Quod ad Magistratus, in confesso est, illis imprimis cognoscenda peccata in populum irrepentia, aut grassantia; præsertim clamantia. Debent enim profligare malum & malos: ergo debent cognitionem eorum capessere. Quomodo autem & quibus adhibitis explorationum mediis, & an ac quibus exploratoribus ac delatoribus uti possint, docetur apud scriptores Politicos: quorum tamen scripta omnia fide scientiæ & conscientiæ, æquè condita non sunt. Quæ *in hunc modum* inde ferre proveniunt, quod mordicus non teneant regulam, de non faciendis malis, ut eveniant bona. Inter explorationum media non infimum est, delatio & querela Ecclesiæ, per quæ indicantur Magistratui peccata, non quidem clandestina (nisi aliquo in casu) sed publicè grassantia. Illustris & perpetua hic praxis est Ecclesiarum Belgicarum, quæ per consistoria, Synodos, Classes querelas suas de peccatis illis deferunt & remedium eorum implorant.

III. *Probl. An & quæ delatio peccantium ad superiores, aut ad eos, quorum interest, sit licita? Resp.*

1. *Concl.* Delatio non est intrinsecè mala; ideoque omnis simpliciter illicita non est. Probatur ex *Matth.* 18. v. 17. *1 Cor.* 1. v. 11. ubi mandatur & commendatur. Adde his exemplum Josephi *Genes.* 37. v. 2.

2. *Concl.* Delatio honesta requirit has conditiones.

Prima. Ut fiat animo & intentione abruptendi peccatum si non per emendationem peccantis, saltem per coërcitionem & poenam peccati; breviter tanta præsumatur utilitas delationis, ut ea præponderet infamiæ illi, quam proximus per delationem pateretur.

Secunda. Ut eam præcedat secreta admonitio juxta *Matth.* 18. v. 15. Insuper ecclesiastica censura & disciplina præcedat delationem ad Magistratum. Ubi enim Ecclesia spiritualibus remediis nihil proficit, coactiva potestas imploranda est. Sex tamen casus scholastici communiter excipiunt, in quibus necessarium non sit privatim moneri proximum, sed possit immediatè ad superiorem deferri. Vide exceptiones illas propositas, & partem aliquam excussas ab Ariaga ad 22. *disp.* 46. *sect.* 2. De honestâ delatione, eique opposita proditio seu iniqua peccati detectione agitur, in *Exercitiis pietatis cap.* 24. *tit. de fraternâ correptione.*

IV. *Probl. An peccata clandestina seu occulta si quæ Ecclesia aut pastoribus innotescunt, per illos debeant ad Magistratum, aut judicem deferri? Resp. Neg.* Exceptio tamen aliqua hic admittenda; contra opinionem Papistarum

tum sigillum confessionis auricularis hic frustra pretendendum. Vide commentum hoc detectum & refutatum à Riveto in decalogum.

V. *Probl. Utrum secuta emendatione proximi, teneat aut possim eum ad superiorem deferre. Resp. Neg.* Si secuta sit emendatio, & non timeatur relapsus: & si peccatum illud non transeat in tertiam personam. Vide de duabus his limitationibus differentem *Ariaga disp. 46. sect. 3.*

Atque hætenus de cognitione: sequuntur actus magis affectivi: quorum S. 9.

1. *Dolor: qui est, & super peccato, quod ad turpitudinem ejus in se, & super peccato, quod ad miseriam ejus, quam peccando incurrit. De Dolo* Psal. 119. v. 136. *Rivi Aquarum, &c. De Luctu* 1 Corinth. 5. & 2 Corinth. 12. v. 21. *Jesa. 24. v. 16. Ezech. 9. v. 4. Dolori huic repugnat* *ἐμπόρευστα*, gaudium, exultatio, triumphus super lapsu proximi. Hic queritur.

I. *Probl. An unquam liceat gaudere de peccatis proximi? Resp.* De peccato ut peccato directè gaudendum non esse, constat ex textibus modo adductis. Et suadet etiam ratio naturalis, super nullo malo esse gaudendum; nedum super malo turpi. Hoc rectæ rationis axioma inculcatur 1 Cor. 13. v. 6. *charitas non latetur in injustitia, &c. Indirectè tamen, seu per accidens gaudere licet, propter scil. bonum ex peccato eductum aut illi conjunctum. Vide 1. part. select. disp. tit. de Usibus peccati, &c.*

II. *Probl. An risus, joci, sales convenient peccatis proximi; seu an satyrica & comica exagitationes ac traductiones peccantium ad auditorum & spectatorum oblectationem ac risum concitandum, sint licite. Resp.* Placent verba Cypriani, ad quendam suum adversarium: *Tu ridende aut deslende potius.* Deplo ratio, luctus, gemitus in casu peccati alieni nunquam non convenit. Aliquando tamen non inconveniens est risus, ironia, sacrasmus, ad majus peccatorum quorundam vilipendium & prostitutionem. Comædiam sive veterem sive novam censemus remedium nimis periculosum esse, & sæpe ipso malo deterius: de quo infra in dispp. nostris de excelsis mundi. Qualis autem fuerit facies comœdiæ & scenæ apud veteres, ostendit Jul. Cæsar Bulengerius in tract. de theatro & Vossius in Poëtica. Satyricas vilissimarum insaniarum exagitationes ac dirisiones, siquidem intra terminos decori se contineant, non putamus esse illicitas. De satyræ usu & abusu facile erit judicare, si ex lectione poetarum, aut ex tract. Casauboni de satyrâ (commentariis in Persium subjecto) & Heinssi de eadem in notis ad Horatium, didiceris quid sit satyra. Bessæi Democritus, Navis stultifera Sebast. Brant. Encomium moriæ Erasmi, Passavantius, Alvearium Ecclesiæ Romanæ Phil. Marnixii & similia scripta ludicro schemate induta, quomodo quod ad summam rei defendi aut

saltem excusari possint aut non possint, in Exercitiis pietatis cap. 6. tit. de lachrymis, quæsumus.

1. *Ira, indignatio, odium, directè ergo peccata, indirectè erga peccatores,* probantur ex exemplo Christi Marc. 10. v. 14.

2. Accedit hæc ratio, quod erga propria peccata & ratione eorum, indirectè etiam erga nos ipsos indignatione & odio ferimur 2 Cor. 7. v. 11. Quidni ergo in peccata aliena?

3. Quia generalis regula absque omni exceptione formanda est ex Psal. 119. v. 128. *Odi omnem viam iniquam vel falsitatis* adde Psal. 97. v. 10. Proverb. 8. v. 13. Rom. 12. v. 2. Quod autem suo modo odium hoc redundet in peccantes, patet ex Psal. 26. v. 5. & 31. v. 7. & 139. v. 21. 22. Odium hoc comitatur *contemptus* impiorum Psal. 15. eorumque realis fuga Psal. 119. v. 12. Tit. 3. v. 10. 1 Cor. 5. v. 9. 11. &c. de qua infra. Adde & hanc rationem, quod Deus odio habeat operarios iniquitatis Psal. 5. v. 6. Jam vero nos odisse debemus inimicos Dei, quos ille odit Apocal. 2. v. 6. Huic pio & sancto odio repugnat inordinata peccatorum dilectio, & cultus amicitiae, inita societatis, ac confederationis cum iisdem. Notandum hic iudicium Dei tum veritale tum reale, quo condemnavit societatem Josaphati initam cum Achazia filio Achabi 2 Paralip. 20. v. 37. An autem & quo in casu ac quibus conditionibus foedus politicum iniri possit cum infidelibus aut impiis, ex professio disputatur à Scriptoribus Politicis, & inter Theologos à Martyre in loc. comm. & Riveto in comment. ad Hoseam.

I. *Probl. An peccatores diligendi sint, & dilectio hæc cum sancto odio (de quo jam dictum) consistere possit? Resp. Aff. utrumque.* Eo ipso enim quod odimus in iis peccatum, quin & ipsos quæ peccatores odimus, eosdem ex caritate diligere debemus, tanquam proximos & tanquam beatitudinis capaces.

Rationes sunt.

1. *Quia Deus hoc mandat.* Matth. 5. 44. 45.

2. *Quia Dei exemplum hoc suadet* Joh. 3. 16. Rom. 5. v. 8.

3. *Quia evincit hoc fraterna correptio & opera misericordiae erga peccatores* infra indicanda; ad quæ tenemur Levitic. 19. v. 17.

4. *Quia proximi nomine, immo & fratris adhuc continentur peccantes* Matth. 18. v. 15. cum Levit. 19. v. 17.

5. *Quia proximus qui maxime auxilio nostro indiget, eo respectu magis diligendus est: quod ex responso Christi & parabolis Luc. 15. per totum, coll. Matth. 19. v. 11. - 14. colligimus.* Posse autem unum eundemque hominem peccatorem diligi & odio haberi, sub hac distinctione *quæ proximum & quæ peccatorem;* quæ Deo ingratum ejusque hostem, & quæ possibilem aut futurum gratum & Deo reconciliabilem, aut ut sit gratus; analogiè de-

desumimus ex distinctione, quam alia in materia adhibet Apostolus Rom. 11. v. 28. coll. v. 22. 23. Et ex altera distinctione, sub qua Deum inimicos suos, quos oderat (Rom. 1. 30.) dilexisse notant interpretes ad Job. 3. v. 16. & Rom. 5. v. 8. Ephes. 2. v. 3. 4. Tit. 3. v. 4. Denique ex tertiâ distinctione, sub qua Christum quâ sponso rem propter peccata nostra Deo exolum, & quâ Filium ac sanctum sanctorum Deo dilectissimum fuisse, notant commentaria & conciones nostrorum ad historiam passionis; ubi de passione Christi in anima. Conferant, qui volent, 2. part. sel. disp. tit. de Agoniâ & Desertione Christi. Concludimus verbis Prosperi sentent. 2. Sic diligendi sunt homines, ut eorum non diligantur errores: quia aliud est amari quod factum sunt, aliud odisse quod faciunt.

II. Probl. An odium erga peccatores, si qui nos offenderunt, huc usque extendendum sit, ut à salutatione, elemosyna, precibus & similibus caritatis communibus officiis excludamus? Resp. De precibus, benedictionibus, elemosyna, & beneficentia in casu necessitatis, simpliciter negatur; ex Matth. 5. v. 44. Rom. 12. v. 14. 20. Exod. 23. v. 4. Quoad externa signa honoris, & salutationes aut resalutationes, possunt ea aliquando aliquò in casu prudenter restringi, propter scandalum infirmorum, & ut periculum seductionis evitetur. Vide comment. ad 2. epist. Johannis 5. v. 10. Ne dicas illi ave. Sed hic distinctio adhibenda inter peccantes ex ignorantia aut infirmitate; & inter peccantes pertinaces, induratos, desperate malos. Rursus inter seductores & seductos. Adhæc inter hostes nostros privatos, & inter publicos seu professos ac juratos hostes Dei, fidei, pietatis, Ecclesiæ. Sicui Scholasticorum fluctuantes, & variantes opiniones explorare libeat, is adeat Cajetanum, Bannes, Malderum imprimis, & Ariaga in 22. qu. 25. artic. 9.

III. Zelus; qui respicit.

1. Deum ejusque gloriam contra quem peccatur.

2. Peccantem, super quo zelamus zelo misericordiæ; etiam positis poenendis, zelo justitiæ coercentis & punientis.

3. Ecclesiam, quæ scandalizatur.

4. Extraneos, qui à veritate avertuntur, eique & Ecclesiæ insultant. Expendenda exempla Christi Joh. 2. v. 17. & Pauli Act. 17. v. 16. & 2 Cor. 11. v. 2. & Pinehas Numer. 25. & Eliæ 1 Reg. 19. v. 10. quorum tamen extraordinaria facta non imitanda. Problemata quæ de zelo contra quævis peccata, speciatim idololatriæ, hæresios, blasphemiarum, tyrannidis moveri possent, studio nunc præterimus: tum quod in diatriba de idololatria indirecta aliquid istorum attigerimus, tum quod unica cautione adhibita omnia facile expediri queant, ut scilicet zelus sit secundum scientiam: hoc est, ut non tantum recta sit intentio; sed etiam media omnia, quibus in execu-

tione & ostensione zeli utimur, sint recta, legitima, & bono fini proportionata; hoc est, ut non nisi ex præscripto vocationis nostrę & mandati divini deligantur.

IV. *Desiderium & preces*: tum ut peccatum abruptatur, tum ut peccantem Deus convertat, eumque veniã dignetur. Exemplum hujus officii præbuit Christus in cruce *Luc. 22. v. 17.* Ad quem textum multa huc *facientia* invenies in commentariis & concionibus ad Passionem Christi, & ad septem verba in cruce. Adde exemplum *Job. 1. v. 5.* & Pauli *2 Tim. 4. v. 16. Ne ipsis imputetur.* Huc refer preces Ecclesiasticas pro conversione infidelium: quas Pelagianis in causa gratiæ objicit Augustinus. Confer commentar. & conciones ad 2. petitionem orationis dominicę.

V. *Gaudium & gratiarum actio* pro cessante peccato, & converso peccatore. Probatur ex parabolis *Luc. 15.* & gaudio Angelorum pro peccatore resipiscente. *ibid. v. 7. 10.*

§. 10. VI. *Actus exteriores reducimus ad*

1. Oppugnationem seu resistantiam.

2. Tolerantiam.

3. Remissionem.

Resistentia seu *oppugnatio* variè distinguitur.

1. *Ex effectu* seu consequente inefficacem & inefficacem. Quarum ista quod ad peccatum cui resistitur, & peccatorem frustranea est; si primum scopum resistantis spectes; non frustranea, si scopum succedaneum, *avertit* peccatoris (*qui sordet sordescat adhuc Apoc. 22. v. 11.* Confer *Jes. 6. v. 9. 10. Ezech. 2. v. 5.*) & officium ac conscientiam resistantis spectes: hic enim liberavit animam suam *Ezech. 3. v. 19.*

2. *Ex causâ*, in publicam & privatam; seu in purè caritativam, & in autoritativam; eamque aut inferiorem, domesticam scil. & scholasticam; aut superiorem, Politicam scil. & Ecclesiasticam.

3. *Ex modo* agendi, & mediis, in realem, & moralem. Illic media sunt, actualis & valida coercitio, occasionum subtractio, legitima compulsio, denique omnia, quæ à coactiva potestate sive inferiori sive superiori legitime adhiberi possunt. Qualis stricte & proprie vocatur coercitio: sitque partim per actualem, realem & validam mediorum & occasionum subtractionem; partim per oppositorum mediorum & occasionum subministrationem & promotionem. Istic per hortationes tantum, lenes suasiones, promissiones, beneficia, alique honesta allicia atque incitamenta proceditur.

4. *Ex fine & scopo* potiori & directe intento, in emendantem seu convertentem; & in punientem seu vindicantem.

5. *Ex objecto speciali*, in emendationem seu conversionem aut coërcitionem ac vindicationem, quæ versatur circa errores in fide, & religione; & in eam, quæ versatur circa peccata seu corruptionem morum. Prior si publica & communis sit distinguitur, in *conversionem* infidelium, & in *reformationem*. Illa est vocatio & conversio Gentilium, Judæorum, Muhammedistarum, ad fidem Christi. De qua in 3. *part. Politica Ecclesiastica*, & in *part. 2. select. dissp. tit. de Plantationibus Ecclesiarum, de Judaismo, de Gentilismo, de Muhammedismo*. Ista, est reductio & revocatio Christianorum ad primævam puritatem fidei ac religionis unde prolapsi sunt, sive ipsi immediatè ac primi, sive mediate in majoribus & prædecessoribus suis. De qua itidem in 3. *part. Politica Ecclesiastica*, & pluribus in nostra Desperata causa Papatus.

6. *Ex objecto* rursus, in eam quæ versatur proprie circa reatum; & in eam quæ versatur circa mala consequentia.

Prior procedit per punitionem & vindicationem.

Posterior, versatur circa consequens malum vel turpe, vel triste. Circa *malum turpe* versatur, cum consequentis aut consecuturi peccati ejusdem aut affinis repetitionem, aut continuationem, aut augmentum, impedit. Hoc enim agit, ut peccati perpetratio sistatur & abrumpatur, per oppositæ virtutis exercitium & suscitationem. Huc spectant verba Daniëlis c. 4. v. 27. *Abrumpe peccata tua, &c.* Circa *malum triste*, quod redundaret vel in ipsum peccantem, vel in proximum privatim, vel in publicum. *Malum peccantis* est vel internum, conscientiæ scil. perturbatio, & desperatio; quibus opponitur *consolatio*: vel *externum*, ut damnum, infamia, poena. Huc pertinet exemplum Davidis, qui quod ad damnum & pœnam Absolomo peccanti parci voluit 2 *Sam.* 18. v. 5. *Malum proximi*, est vel damnum, quod homini interno per malum peccantis exemplum, seu scandalum: vel damnum, quod homini externo in corpore, bonis, honore ex hoc peccato inferri posset: Hujc malo sistendo aut abrumpendo inserviunt prudens peccati perpetrari directio, limitatio, circumscriptio & terminatio. *Malum publicum*, quibus consiliis & auxiliis legum, sanctionum, comminationum, actualis executionis, & severæ vindicationis, sisti aut averti possit, docet exemplum Davidis in suppressione rebellionis Absolomi; & Josaphati, Asa, Hiskia, Josia, Nehemia in negotio reformationis. Arque hæc distinctiones particularibus factis & casibus applicatæ, non exiguan lucem in hanc materiam inferent. Nos omnibus illis præsuppositis, & ulteriori explicationi ac deductioni cujusque judicio & studio relictis, tantum hic duo imprimis consideranda notamus, Punitionem scil. peccantis & conversionem.

Punitio est vel domestica, vel scholastica, vel Politica, vel Ecclesiastica. De primâ agunt Scriptores æconomici, & de educatione liberorum, &c.

De secundâ Scriptores scholastici.

De tertiâ Jureconsulti, & interpretes legum Mosaicarum, quales Zepherus & commentatores in Exodum, & Deuteronomium.

De quartâ nos in 3. part. Polit. Eccles. tit. de Clavibus regni calorum: ubi alii autores indicantur.

Conversionis media sunt *corruptio*, & *consolatio* seu erectio peccantis. De correptione, & consolatione agimus in Exercitiis pietatis.

Problemata sunt.

I. Probl. An pœna vindicta seu vindictio ab homine privato erga peccantem exerceri possit? Resp. Neg. ex Matth. 5. v. 39. Ne resistatis malo, &c. Rom. 12. v. 19. Vos ipsos non vindicantes, &c. Scriptum est enim, mihi vindicta, &c. De quo ex professo Scriptores de duello, & commentatores ad 5. petit. orat. dominicæ, & ad Matth. 5. Rom. 12. & ad sextum decalogi præceptum. Exempla Pinehas Num. 25. Eliæ 2 Reg. 1. Elizei 2 Reg. 2. Petri Actor. 5. Pauli Actor. 13. peculiari atque extraordinario instinctu ac mandato Dei subnixa nobis imitanda non sunt. Applica monitum Christi Luc. 9. v. 55. Quod ad moderamen inculpatæ tutelæ (de quo Rivetus in decalogum,) ad directam pœnam seu vindictam referri non debet. Præterquam, quod illo in necessitatis casu quisque privatus publica potestate, & mandato tum divino tum humano munitus, tanquam Magistratus aggressiorem interficere dicendus sit.

II. Probl. An privato homini vindicta parva sit licita, e. gr. ut percussus alapa, pugno, baculo, ex incontinenti reperiatur? Resp. Affirmant nonnulli Casuistæ Pontificii; nec multum abnuere videtur Lessius lib. 2. de Justitiâ & Jure cap. 47. dubit. 4. S. 23. Sed non videmus quomodo hoc conveniat cum Matth. 5. v. 39. Ne resistatis, &c. nedum ut abominanda illa Jesuitarum Theologia, de occisione ejus, qui in puncto honoris quem læserit, aut nobilem baculo percusserit. De quâ ad 6. præc.

III. Probl. An omnis pœna & vindicta sit odium proximi, & consequenter sit illicita? Resp. Neg. Jure enim divino & naturali pœna à judice propter justam causam infligenda præscribitur. De jure divino probatur ex praxi criminali legis forensis Mosaicæ: unde quod ad genus seu analogicè pœna ab hodiernis judicibus infligenda deducitur. Adde textus Gen. 9. v. 5. 6. coll. cum Rom. 13. v. 4. Rationes jus naturale (non primigenium aut absolutum, sed secundum & hypotheticum per & post ingressum peccati) demonstrantes, vide collectas à Scholasticis ad 22. q. 108. art. 1. 2. 3. & à Lessio l. 2. c. 47. dub. 4.

IV. Probl.

IV. *Probl. An ex caritate erga proximum pœna peccantibus aliquando possit remitti, aut mitigari aut differri? Resp.* Quidni? Huc faciunt quæ de æquitate, lenitate, clementia Theologi, Ethici, Politici passim commentantur.

Tolerantia (ad quam referimus συγκατάβασις & περισφοδία) directè & §. II. propriè spectat peccantes, non peccata. Tolerantur autem in communione & societate, non obstantibus peccatis eorum. Sed pro varietate communionis, & peccati, distinctè de pia tolerantia determinandum est. Sunt enim peccata, alia præsumptionis, alia indurationis, alia ignorantia, alia infirmitatis; alia permanentia & adhærentia, alia transeuntia; eaque aut cum subsequenti & formalis poenitentia demonstratione, aut absque eâ; rursum, alia magis hic & nunc scandalosa; denique alia in doctrina & religione, alia in moribus.

Communio itidem & societas varia est: alia Politica, alia Ecclesiastica, alia domestica, alia simplicis benevolentia & pacis, alia insuper amicitia. Adhæc tolerantia est vel perpetua, vel ad tempus: vel lege, aut decreto aut stipulatione stabilita, vel arbitraria solum conniventia atque indulgentia: vel circa retentionem in eadem. Ex his distinctionibus enucleatio variarum questionum & casuum, cum quibus peccatis, & quâ in communione, nec non quamdiu, & quomodo tolerandi sint peccantes; quæ hic studio prætereo. Interim lucem aliquam huic materiae inferri arbitror à dissertationibus nostris de moderatione, tolerantia, syncretismo part. 3. Polit. nostræ Ecclesiasticæ, inferendis.

Medium inserviens tolerantia, est dissimulatio & præteritio peccati: ut videntes non videamus, de quâ comment. ad 1 Petr. 4. v. 18. & 1 Cor. 13. v. 7. Adde æquitatem, longanimitatem, χρηστότητα, moderationem suspitionum, facilitatem, benignius iudicium.

Opponuntur tolerantia directè magis remotio & rejectio peccantium: magis indirectè seu reductivè fuga & evitatio peccantium.

Rejectio est, ex & à publicâ societate & communione sive Politicâ, sive Ecclesiasticâ (de quâ 1 Cor. 5. v. 13.) : vel ex & à privatâ societate amicitia, & familiaris conversationis.

Fuga & evitatio præcipitur Tit. 3. v. 10. Joh. 2. v. 10. Rom. 16. v. 17. 18. 19. Et de peccante in moribus 2 Thess. 3. v. 6. Distingui debet evitatio & fuga peccantis licita ab illicitâ. Quam distinctionem nostri adhibent, & ex verbo Dei determinant, contra Anabaptistas in controversiâ de Excommunicatione.

Remissio, & venia largitio circa proximum peccantem quid sit & in quos consistat docent commentatores ad 5. petit. orat. dominicæ, & ad 6. §. 12.

decalog. præcept., ut etiam ad Matth. 18. Rom. 12. Ephes. 4. Coloss. 3.

Media huic inservientia sunt virtutes misericordiæ, placabilitatis, patientiæ, clementiæ, longanimitatis, cognitionis nostri ipsius & infirmitatis propriæ. Galat. 6. v. 1. 2.

Motiva ab exemplo Dei, ejusdemque mandato, & ab effectis utilibus aut damnosis desumuntur. Est autem remissio vel generalis, abstrahens à latente & non latente: vel specialis, quæ *reconciliatio* dicitur, remissio scil. mutua & non latens, in casu injuriæ, offensionis, rixæ, contentionis, &c. Rursum utraque & remissio & reconciliatio est vel publica, eaque aut Politica, aut Ecclesiastica; vel privata. Ecclesiastica rursum duplex est; vel cum intercedente & dirigente Ecclesiâ reconciliatio inter partes dissidentes instituitur: vel cum aliquis ipsi Ecclesiæ reconciliatur in casu scandali & lapsus & veniam ab illa consequitur. De quâ 2 Cor. 2. v. 7. 10. Confer de hac diatriben de clavibus regni cœlorum 3. part. Politica Eccles. inferendam.

Media reconciliationis sunt.

1. *Agnitio & confessio peccati*, de quâ Jac. 5. v. 2. *satisfactio* tum verbalis tum realis, seu restitutio & compensatio damni dati: de quâ alibi.

2. *Læsæ ac turbatæ pacis*, aut etiam amicitie *restitutio ac renovatio* per verba & signa externa. Est autem hæc confessio, satisfactio & pacis renovatio, vel privata, vel publica seu Ecclesiastica, quam *Canonicam* vocant. Occasione & detorsione hujus methodi ac disciplinæ in antiquâ Ecclesiâ usitatæ, Pontificii suam confessionem auricularem, suas satisfactiones, & indulgentias procuderunt. De quo videndus Chemnitius in Exam. Concil. Tridentini, Chamierus in Panstratiâ, &c. alique autores nostri in dissp. de indulgentiis, & de Purgatorio cit.

Opponuntur remissioni & reconciliationi Vindicta, retaliatio, *πρωμυ* gemitus Jac. 5. v. 7. *ῥέμψαι* querelæ Col. 3. v. 13.

Problemata sunt.

I. *Probl. An alla retaliatio sit licita.* Resp. De privatâ Neg. ex Rom. 12. de publicâ Magistratuum Aff. uti supra ostensum est: ubi de punitione.

II. *Probl. An in casu injuriæ à proximo illatæ, nunquam genere liceat; nunquam conqueri, idque innuatur.* Jacob. 5. v. 7. Coloss. 3. v. 13. Resp.

1. *Concl.* Gemitus & quærelæ sunt laudabiles, quæ tacitè ad Deum submittuntur idque duplici respectu: mali tristis, seu passionis scil. nostræ, (vide Psal. 12. & 55. & 145. 19. & 102. v. 20): & respectu mali turpis, seu peccati & vitiosæ actionis proximi (vide supra, ubi de dolore super peccatis proximi).

2. *Concl.* Gemitus, dolor, ex sensu mali, molestiæ & afflictionis, est
in

in se adiaphorus: quippe proprium & consequens naturæ à Deo creatæ, & fuit in ipso Christo secundum humanam naturam. Ne tamen exorbitet, in gyrum rectæ rationis coercendus, & voluntati divinæ submittendus: quomodo Apostolus de moderatione luctus super mortuis 1 Thessal. 4. v. 13. Huc facit dictum Bernardi: *Non est stupor, sed amor; non amittitur sensus, sed Deo submittitur.*

3. *Concl.* Contra proximum peccantem & injuriâ nos afficientem, si quidem privata sit injuria, gemere, & querelas ad Deum deferre non licet, siquidem ex odio, malevolentia, vindictæ cupiditate hoc fiat: sed potius pro eo orandum est *Matth.* 5. v. 44. Injuriam ab hostibus Dei, ipsi Deo, verbo ejus, & Ecclesiæ illatæ, alia est ratio. Vide preces & gemitus adversus illos *Psal.* 68. & 69. & 35. & 83. 137.

4. *Concl.* Querelas ad Magistratus deferre contra injurias à proximo illatas, non est omnino illicitum; quidquid hic objiciant nonnulli 1 *Cor.* 6. v. 1. 2. 3. Vide & Confer exemplum Pauli *Act.* 23. & 24. & *comment. ad loca cit.* & ad 6. & 9. *præceptum*, & 5. *petit. orat. domin.* Injuriam factum remitti potest proximo, & vindictæ studium ac malevolentia abesse aut deponi; nihilominus sereno animo, consequentis effecti, damni scilicet, ablatio & ablati restitutio, & impeditio ulterioris aut repetitæ injuriæ, à Magistratu, aliquo in casu, postulari.

Problemata de Reconciliatione.

I. An omnis reconciliatio super offensâ & injuriâ semper fieri debeat ad amicitiam honestam, aut utilem, aut jucundam, aut quamcunque aliam propiorem correspondentiam, aut societatem aut familiaritatem, &c. *Resp. Neg.* Aliquando etiam satisfacit quis officio suo, si condonatâ injuriâ præteritâ tantum ad restitutionem benevolentiam & beneficentiam communis ac omnibus debitæ revertitur, præsertim in casu necessitatis.

II. An reconciliatio semper sit cum mutuâ remissione offensæ, & confessione culpæ ac petitione veniæ, ab utràque parte. *Resp.*

1. *Concl.* Ubi ab utràque parte peccatum est, quamvis inæqualiter *Ast. Jac.* 5. Confitemini vobis invicem peccata.

2. *Concl.* Ubi tantum ab unâ parte peccatum est, & altera pars cum Paulo 2 *Cor.* 7. v. 2. dicere possit, & ἡ δὲ ἑτέρα ἡδονήσεται. *Neg.* Sic exempla in Scripturâ, & sic Christus 1 *Petr.* 2. v. 23. καὶ οὐδεὶς ἐξ ὧν, &c.

III. An quis possit ac debeat pacis causâ, ubi nullâ injuriâ offendentem affecit, sive offendendo sive defendendo, talem formulam conciliationis admittere, quæ ipsum aut æquæ aut aliquâ ratione culpabilem faciat? *Resp. Neg.* Non sunt facienda mala, ut eveniant, &c. *Rom.* 3. Jam vero magnum malum est seipsum falso accusare, aut accusationem falsam approbare.

IV. Unde æstimanda (ubi ab utrâque parte injuria illata) gravitas offensa unius partis præ alterius. *Resp.* 1. Vel ex prioritate, si quis prior offendit, alter autem posterior in defensione. 2. Vel ex multiplicitate & magnitudine injuriæ, sive prius, sive posterius: e. gr. ut si quis prior verbulo offenderit, ille multis & longè asperioribus verbis contra offendat, per reconvencionem & retorsionem, excedens moderamen tutelæ; aut cum quis pugno cæsus, gladio se defendit sine necessitate, & offendentem graviter vulnerat.

V. An aliqua retorsio sit licita; seu medium ullum in defensione adhiberi possit, quod mediate sit offensivum; quamvis ex necessitate inevitabili ordinetur & tendat ad defensionem. *Resp. Aff.* Tum in verbali tum in reali defensione: haut aliter ac in privatâ inculpatâ tutelâ, aut in publico bello defensivo: modo non fiat ex vindictâ privatâ, aut ex intentione offensionis.

Sed { ex purâ intentione defensionis justæ.
Et ex necessitate medii simpliciter necessarij ad illum finem, defensionem scil.

VI. An in reconciliatione uti possimus amnestiâ, & viâ accommodatæ. *Resp. Aff.* His conditionibus. 1. Ut directè nihil fiat contra causam bonam & justitiam. 2. Ut quidquid exsertè non explicatur, non determinatur, parti utrique aut alterutri proponendum atque oggerendum, simpliciter prætereatur, & quaecunque sit absque speciali commemoratione prætereatur, ac silentio & caritatis igni sepeliatur, nunquam refodiendum; ac si nunquam dictum aut factum fuisset.

VII. An semper definitè ab utrâque parte debeat fieri confessio peccati (si quod commissum sit magis aut minus) & petitio veniæ, &c. *Resp. Neg.* Aliquando sufficit in genere & implicite dicere. *Quodcunque à me commissum est*, &c. *Con dona aut boni consule.*

Imo aliquando sufficit, tantum conditionaliter dicere. *Si quod commissum sit*, &c. Quin & aliquando sufficit sola restitutio & declaratio

restitutionis { aut benevolentia.
aut pacis.
aut amicitia:

Omnibus alijs præteritis, & in medio relictis. Et hæc specialiter dicitur *amnestia*.

VIII. An aliquo in casu reconciliatio aut pacificatio, sive formalis sive virtualis fieri possit, per solam injuriæ condonationem: reservatâ tamen sati statione pro damno, seu restitutione bonorum, aut famæ, aut alterius

rius cujuscunque ablati : reservatâ, inquam, { aut *transactioni*.
{ aut *arbitrio aliorum*.
{ aut *sententia judicum*.

Resp. Aff. Sed de hoc propriè & pluribus infra agendum in disp. de Restitutione.

Sequuntur officia caritatis circa proximum peccantem quod ad nos ipsos, §. 13. quæ nomine usum peccati designamus. De usu & abusu peccati tum Dei tum hominum in genere quomodo intelligi possit, explicuimus in disp. de Usibus peccati per accidens, quæ primæ parti selectar. disp. inserta est. Usus ille quod ad nos est geminus : unus spiritualis, ad cautelam, prudentiam, respicientiam, gratiarum actionem, &c. *Alter symbioticus* in negotiis hujus vitæ. De priori nemo, quod sciam, dubitat. De posteriori queritur. An quis uti possit alieno peccato. *Resp.* Breviter respondemus.

1. Illud esse per accidens.

2. *Directè & per se* nos uti bono, quod aut malo substratum est, aut malo conjunctum, aut ex eo proveniens seu potius ad illud consequens : indirectè autem & per accidens ipso malo ; non quâ tali, sed ut ordinabile est ad bonum & in bonum.

3. Utendo non debemus peccatum indebitè tolerare ; nedum illud procurare, promovere consilio, suasionè, exemplo, mandato, laudatione, &c. Sic e. gr. uti possumus ebrietate alicujus ad arcana aliqua in bonum publicum aut privatum expiscanda ; sed nullo modo possumus ebrietatem procurare, aut aliquem inebriare. Et sic judicandum de aliis vitiis per singula decalogi præcepta, ut jure patronatus, juramento idololatrico, ambitione, audaciâ temerariâ, rebellionè, rixâ, odio, discordia, fœnore, avaritiâ, mendacio, perjurio, perfidiâ, proditiōe, &c. Nec obstat quod illo usu videamur allicere homines ad talia peccata, aut in iis confirmare. Modo enim absit cooperatio, & tolerantia non sit affectata seu illicita, propter malum per accidens bono conjunctum aut ad illud consequens, non est bonum per se debitum omittendum. Alioquin fas non esset fideles hortari ad bona opera, quæ per accidens corruptionis semper vitio aliquo inquinata sunt, nec infideles ad officia erga Deum & proximum, quæ per accidens & in illo subjecto (quamdiu tale manet) male fiunt & in splendida peccata evadunt.